

THE TRUSTEES OF THE
PUBLIC LIBRARY
LUX
OMNIUM
CIVIUM
OF THE CITY OF
BOSTON
1852 1878





DE ARTE NATANDI

Libri duo, quorum Prior regulas ipsius *artis, posterior verò praxin demonstrationemque continet.*

Authore EVERARDO DYGBEIO Anglo in artibus Magistro.



LONDINI
Excudebat Thomas Dawson.

1587.

Eximio & illuſtiſsimo Viro Ricardo *Wourtleio Armigero, clariſsimo muſarum alumno: Euerardus Digbeius* veram fælicitatem.



Trum rem tantilli momēti nomni tuo dicare, & ingraueſcente calamo meo artem natandi ex infimo ignorantiæ obliuioniſque puluere erigere commiteter; diu mecum (Wortleie digniſſime) multumque dubitaui. Quoties enim vel ætatem meam paulò prouectiorem vel animi tui amplitudinem, veramque dignitatem impenſiùs mecum cogitabam: toties opinione iſtac tacitaque cogitatione, ætate noſtra & genoroſo animo veſtro indigna (idque non ſine iuſta multorum reprehenſione doctorum atque prudentium) tacitus mecum planè me erraſſe diuinaui. Quid enim leuius aſpectu, confirmatæ ætatis vero, togæ & muſarum alumno, liquidis ludente vndis, & pueriliter molli aquarum ſuperficie debacchante? quid pœnitentiæ coniunctius Socraticæ, quidue imprudentius, quàm ſolida firmaque globi terreſtris relicta certitudine, inconſtanti aquarum liquori, huc illucque fluenti ac vacillanti ſuccumbere? Quid occulis tuis clariſsimis inuſitatius, aut euenire ſolet inſolentius, donis hiſce tam illepidis? Quid auribus abſonātius, cœleſtis ſtudioſum ſophiæ, auram anhelantem æthercam, tricis repentè implicari puerilibus, artemque ornare natandi? Solita tamen & facilè conſueta humanitate tua perfunctus (mihi ante omnes muſis celebrande Wortleie) ſi quæ tibi etſi incondite, etſi exiliter, ieiunoque calamo, craſſa etſi pinguique Minerua, gratæ tamen ſub imaginæ mentis dicauero, oculis æquis illuſtrabis: facilè intelliges, me togatam his liniolis ſalutare ſenectutem, non curuam non decrepitam, non anilem artium liberalium deſuetudinem, ſed macta virtute & glorioſa fronde, menſis Maij inſtar Appolliniſque lauri effloreſcentem, iuuentutē Anglicanam: præcpuè verò & præ alijs veſtram, veſtrique animi veram expreſſamque imaginem *Cantabrigienſem*. Quæ vt quondam tibi puerilibus nondum ſoluto vinculis & laxato generoſæ educationis clarum ſpecimen frequenter edidit: ita hodie priſtinæ non oblita fæcunditatis muſæuè prioris, cæteris ſi non

prælucet musarum nutricibus, lucet tamen omnibus & euidenter claret, Martis ac Mineruæ, togę, bellique serij & ludi, multò maximè studiosa vndique oculis omnium alteram scientiam indagantium, lumen præbens serenum, radij Titani instar vnicuique coruscans. Huic ego qui quondam altam ἀναλύσεος θεωρίαν, idque *Cantabrigiæ* ordine approbante Senatorio, ausculante clara claræ iuuentutis corona, garriente nuper enata noui dogmatis secta canina, publicè explanaui, hodiè amæniores musas affectans, viam, qua repentinam aquarum perniciem, omnemque lymphatici discriminis anxietatem, quouis tempore quouis loco, quouis denique casu aut periculo arte superare posʃint, describere; opus gratum futurum, tibi verò non iniucundum, sæpè mecum multūque æxistimaui. Quibus autem præ studij priuati enixione sedula ac solerti, vel alta rerum arcanarum speculatione, vel serenæ mentis intentione, sacræque sophiæ praxi, vel Academicorum consuetudine, vel augusta reip. administratione, vel rerum familiarium vitæque priuatæ varietate ac viciʃsitudine, exiguis non licet adesse rebus tempore & vacare: doctiʃsimi illi gaauiʃsimique viri, non inuidebunt (spero) his nostris quàm minimis, imò mirantur potiùs, quòd alta Sicelidum relicta rupe, pristinaque maiora canendi consuetudine, tandem aliquando humiles nostra non erubuit Lymphas habitare *Thalia*. Quòd si aʃsiduam temporis circumuolutionem & diuturnam, animo complectamur, & pœnitere tanti non ememus: minimè nobis erit obscurum discipulum prioris esse posteriorem diem nec multum a salute macte virtute adolescentiū abhorrere, si sapientis senectutis plena auscultent monita, figant firmiter maiorum suorum institutis vestigia sua. qui quidem dum illarum affines esse rerum volunt, quas fert adolescentia, tandem magno suo cum dispendio, & experientia penitenti, verè intelligunt a senis ore verbum salutare dilapsum illud: Experto crede. Atque hac in re vt quòd verè sentio, liberè dicam, & in conclusione minimi prælij, maximi momenti sententiam vt præcipitem: in scientijs singulis, omniq; recta vitæ ratione inchoanda, instituendaque, eiusdem expertos si sequamur, a recto veræ virtutis tramite nunquā aberrabimus. Quo quidē sentētiæ veræ & omninò salutaris monitu, altiùs paulo in pectus nostrum demiʃso, non minori cum dolore nostro intimaq; animi acerbitate, quàm totius reipub. detrimento & exitio comperiemus, nullum vnquam telam asperius lateribus eius

fuisse infixsũ, nullum periculũ infestius, nullũ malũ calamitosius, nullum venenum tetrius aut virulentius, eidem vnquam contingisse, quàm cùm relicto patrum salutari consilio ac sapiente procax audaxque iuuenilis ardor, omnia noua nouato ignorantiæ ritu docere non erubuit. O præclarã maiorũ peritiã, & in omni facultate eximiam certitudinem, cuius radius clarus ille quidem & luminosus aditum mihi aperuit ad artem hanc Laconica breuitate describendam, animumque dedit non verecundandi, non dubitandi non mordacis linguæ telum venenatum formidandi nondum incæptum opus abijciendi, sed aquas licet profundissimas, artemque ipsam (Neptuno duce) animo forti ac constanti aggrediendi. Eoque magis quòd omnes natandi vias, omnes varietates, omnes huius artis conclusiones claris in aquis nonnunquàm sum expertus, nihil nostri sequaces moniturus, cuius priùs, præcedens non fuerim particeps & præmonstrator peritus. Quod vero simplici natione vel prona vel supina, vel vrinante non contẽtus, vlteriores gradus agilitatis (filum orationis vnà producens) pluresque descripserim: id & huius facultatis alumnus generosè in profundis gestiens, & ipsa ars) quæ certam sibi vndique omni molestiæ diluendæ, omni periculo amouendo, omni denique anxietati abstergendæ, amoliendæque viam præmuniuit (non modo postulat, verum etiam efflagitat. Cùmque hominũ inclinatio tam diuersa sit & multiplex, natura tã dissidens ac omninò dissentanea, cunctaque sub ancipiti pendent mortalia casu & euentu librantur nonnunquam inopinato: multæ aquæ, & spaciosus amnis amplam nobis artem, certisque regulis ad salutarem vsque vitæ humanæ conclusionem deductam ac diriuatam suppeditauere. Quæ etsi sub humili orationis amictu, paucisque regulis concisè pertractatis & contextè, compareat: tumida tamen fouet vbera, multoque scientiæ laste distenta: institutionẽ breuem, veram, dilucidam, cuiusque natationis, cuiusque facilitatis & gratiæ, cuiusque euasionis, siue ludas in aquis, solusque te oblectes siue cum altero contendas, siue immanissimas bestias adoriare, siue serpentum aconita venenosa diffugias, siue merso lintre, subsidente equo, periclitante teipso, emergere studeas; clara quasi luce soleque meridiano exhibet, habens in summo aquarum discrimine præsens semper auxilium: generi quod det humano & dat nulla scientia largiùs, nulla citiùs, nulla salutarius, Quòd si nuper enatæ facultatis huius, aut saltem calamo nostro ab

infimis vmbris reuocatæ (cùm ſit iocus recens prorſus ac iuuenilis) recentem vnà lector expectet, & cerebri feratioris authorem iuniorem, cuius orationis florem ac viriditatem nondum firmata viri abſtulit ætas, quique ab aureo ornatæ orationis fonte, originē redundantem primò deriuaret, primaque *Syracuſio* linea luderet verſu: is vno in conſpectu ponat veneranda canitie ſimul ac authoritate poëtas Illos nobiles, oratorumque longe principes, *Pyndarum, Æſchilum, Homerum, Orpheum, Platonem, Ariſtotelē*, aureique fluminis inſtar reduntantem *Ciceronem*. Qui quidem diſerti ſenes cerebri deum hominumque ingraueſcentis ac ætatis puerilis, ludi ſerijque tantas res, tantaque varietate deſinentes, vna orationis temperie, vno calamo, vno penicillo, non ſine magna omnis poſteritatis admiratione, famaque eorum perenni & perpetua, diuino tanquàm digito de pinxêrunt. *Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci*. Et qui ſeruata artis cuiuſque maturitate, vſuque ſalutari, eius omnes amænitates, floreſque aſpectu iucundiores, & delectamenti maioris, ſcientificè ſimul ac ornate, non inopi vocum ſuſurro, non inani dicendi contentione, non ſtridenti perſonat auena; is peritus facultatis ſuæ eſt magiſter; cuius *Sola Sophocleo ſunt carmina digna cothurno*. At verò colorum fucumque nitoris tantùm oratione affectare, ſpecie ſola delectari & coloris tantùm pulchritudine, exoſculari eſt vmbras pueriles; corpus medullam, ſanguinem ipſum, prorſus amittere: ſine quibus & areſcit prorſus ſcribentis calamus, & legentis nonnunquam vacuum cerebrum fit valdèque ieiunum. Multæ palato placent iuuenili dapum varietates, quæ digeſtæ ſemel & per varias corporis venas diffuſæ, ſunt adeò ſalutares: multaque multis, multi efferunt laudibus, iuuenes dùm ſunt, quæ ſenes ſæpiſsimè odio habent, magnoque digna putent vituperio. Mihi autem ter ſenis lymphaticæ huic lationi annis dedito fides vlla ſi eſt adhibenda, multæ quandā perplacuere glorioſæ quaſi natandi agilitates ac repentinæ, a quibus, poſt longam iam & annoſam experientiam, ictus prorſus horreo declinoque. *Id qnemque maximè decet, quod eſt cuiuſque ſuum maxime*: Virilis ætatis eſt prioris temeritatis dolorem præſentem & aculeos ſentientis, poſteritati ſalutare dogma inuenire. docere, monere etiam ſuis veſtigijs inſiſtentes, nequando eiuſmodi pœnitendi periclitandique diſcrimine implicentur? Iuuentutis verò proprium cenſemus, diſcere, parere, aliorum periculis ſapere. Qua tandem ſtrictis mani-

manibus & complicatis, aurea apprehensa catena post multos annos, vita eorum varij discriminis scopulos fœliciter præteruecta, omni cicatrice maculaque nominis ac naturæ immunes, candente salutaris senij cathedra reposta; non pulcrè modò sibi caueant & musis, verum etiam dulci salutaris orationis subsidio, artem alijs reuelent planè diuinam & non nisi summis ingenij, facilè imbibendam. Iuuenilis verò in nostris theatro vultus erectio, vocis expressio, inconsiderati cerebri præceps effusio fœtusque immaturus, sapientis senis eruditis auribus *Græcis Romanisque* litteris assuetis, quàm sit insipidus, quàm inanis, quàm aridus, quàm omninò vacuus, & sine succo euanidus: nullus est tam incultæ & derelictæ memoriæ senex, nullus tam præcocis ingenij puerulus, quem potest latere. Qui autem huius artis aditum tam apertum iuuentuti inuidentes, me a scribendo deterrere student, dum stridente lingua, triuijs sæpe personent, *Ouidiani* simile quiddam illius: *Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur,* tanti gradus maiestas, amorque natandi, cuius omnis actio excercitatioque, minimæ æstimationis semper fuit, Iocus ludus, leuitas puerilis: maximo ij vagantur opinionis errore, artēque prorsùs ignorant natandi: siquidem minimarum rerum vsu & exercitatione, maximum sæpè reip. salutis, tranquilitatis, honoris denique in crementum, solet affluere. Ars autem natandi, exili etsi exigui codicis volumine sit constricta, arctisque concisæ breuitatis regulis congesta: ipsa tamen per omnes omnium hominum actiones vitæq; recessus liquidò discurrens, vitæ auxilium præsens suppeditando, reliquarum facultatum, siue liberalium, siue mæchanicarum, vna omnium latissimè patet. Immò vero nullus est tam infans in rep. puer, aut decrepitus senex; nullus tam domi togæ assuetus, armisue foris, nulla sors hominum tanta regij tituli sublimatate enitens, tamuè obscuro loco depressa, cui ipsa in aquis periclitanti (vbi nec opes, nec amici, nec generis claritas, nec omnes omnium nobilium tituli, principumque excercitus, auxilium ferre possunt) fœlicem sæpè manum vitæque salutarem præsens non porrigit, Lyrici iuxta Poetæ illud:

Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè,
Æquè neglectum senibus puerisque nocebit.

Euidentis huius veritatis vsusque simul natandi præ cæteris insignis, clarum nobis & apertum exhibent testimonium, tot quotā-

nis aquis *Cantabrigiensibus*, clari generis absorpti iuuenes, & pereuntes funditùs. Qui arte isthac orbati prorsus ac destituti, horæ momento, vitalia simul lumina, & triste nobis & eorum desideririum reliquerunt. Horum necem imaturam interitumquè violentum (Humanum cum sit humanis casibus ingemiscere) misericordia multoties prosecutus: dolebam equidem & vehementer angebar, artem natandi tamdiu tot tantorumque magno cum dispendio delituisse orbam, paruam, ignotam. Hinc primum traduxit originem pia isthæc erga patriam industria nostra, & breuis tractatus huius, regulas paucas, veras, salutares, demonstrationemque lucidam ac apertam continentis, calamus noster primum initium deriuauit. Quæ quidem quòd publicam præcipuè salutem, & generosæ virtutis florem ad optatam maturitatem producere, vitãque tandem seruare incolumen docet : minimæ artis commodo maximo amplissimoque commotus tibi (*Wortleie ornatissime*) optimè de rep. merito, & academicis nostris ascribere, protectionique vestræ fidissimæ supponere ac submouere, rem non adeo inuenustam æstimaui. Qua quidem in re intimam animi mei notionem tibi vt euoluam, amorisque erga te mei, vultum nudum expressamque imagînem vt reuelem: minimè tibi obscurum esse velim, anteactæ ætatis vestræ curriculum (quum aliquot retròactis annis, clarissimus musarum alumnus in Collegio nostro extitisti) tantam etiam speciem, spemque tam splendidam eximiæ virtutis ac inauditæ, occulis nostris clarè expressisse, quantam ego cum reliquis faciliùs admirari, quàm dignis encomijs, natiuoq; dictionis lumine illustrare potero. Huic magna virtutum diuinarum caterua, & gratiarum affatim vndique confluentium fit pedissiqua: musis ac Mineruæ mens vestra diuiuitùs consecrata, scientiæ monumentis perscrutandis industria singularis, successus paucis annis admirabilis, incrementum faustum, fœlixque ingenij serenitas, animi æquitas, morũ comitas, in omnibus erga omnes sũma & singularis liberalitas, animum mihi irritatum addidere, manumque ad scribendum velocem. Quæ quidem animi sereni ac salutariter sapientis dona diuina, splendidi tui pectoris area, tædæ Titaneæ instar collucentia, nisi tanta sint, tamque egregio nitore oculis omnium (qui vel te norunt, vel animi tui integritatem) prælucentia, quanta ego nec arte obumbrare, nec spiritu personare nec lingua exornare, nec calamo effingere, nec penetrante mentis cogitatione

one apprehendere poſsim: lubenti animo veræ virtutis culmen illud diuinum aggrederer, animique celſitudinem illam exili calamo meo pertingere non verecundarer: ſplendorem quoties intueor, toties vndique mihi acies oculorum eſt retuſa prorſuſque reſtincta. Nolo ergo (*Wortleie* dignißime) amplitudinem veſtram verbis extenuare, quam vt velim, exornare, non eſt facultatis noſtræ. Voluntatem me tibi ſatis magnam eſſe emetitum (etſi rem ipſam nondum videor) tam exigui munuſculi nuda præſentatio iſthæc (in quo prudentiam potiùs noſtram quam beneuotentiam deſideres) apud animum tuum abunde ſatis cumulatèque teſtatum relinquet. Quam quidē ſi boni bellique conſules, eiuſque indignitatem animo (vt ſolebas) amico & perbenigno interpretabere, a dubia trepidatione fragillitatis ingenij mei deſperationeque vllius vnquam poſthac operis in ſolem & lucem emittendi forenſem, me facilè reuocabis. *Vale E. Collegio noſtro pridie nonas Maij. Anno Salutis.* 1587.

Tibi ſyncere addictus

Euerardus Digbeius.

ROBERTVS BOOTH.

HVmentes ausus glebas animare Prometheus,
Fertur ab axe poli surripuisse faces:
Sic mentem a cœlis capiens a puluere membra,
Ex viua infœlix est homo factus humo.
Cumque premantur aquis absque arte Prometheos artes,
Mens metui cedit victaque membra mari.
Vtraque pars certant leuat hæc, grauat illa natantem,
Tertia, dum certant vincere, vincit aqua.
Quam licet ex vsu superarunt sæpè Iuuentæ,
Non tamen artifices efficit vsus iners.
Efficit artifices Digbeius proficit vsus:
Et quo marte tuo non potes arte nates,
Hæc docet in summo, summo tutissimus ibis
Hæc docet in medio, si lubet ire vado,
Omnia membra facit soli seruire natanti,
Quæ si non prosunt singula, multa iuuant.
Brachia flexa regunt cursum tibiæque propellunt.
Sustentat motus, concauitasque leuat.
Ars docet hæc, artem Digbeius magna relinquens
Illis vt prosit, qui sua cæpta probant.

OTTHO HYLL.

AEstus qui docuit moderari primus amôrum,
Vincere quem docuit victus discessit amori:
Sic quoque qui docuit pennis pendere nouatis,
Arte perire noua docuit sua viscera natum.
Tutiùs & meliùs lex est descripta natandi,
Quam sectêre modo, vincésque Palæmona nando.
Arte salire docet summa de margine terræ:
Arte docet iactare manus, pedibusque mouendis
Ars data, seu fluctus aduerso pectore scindas,
Seu resupinus ames caput obiectare reductum:
Nec modo supremas docet ars hæc fluminis vndas
Stringere, subducto cæcus patet alueus antro
Nympharum domus alta, patet conclaue reclusum.
Ergò age, turbatas quia te duce spernimus vndas,
Typhis & Automedon Digbeie ferrere natantum.

NVmina nugaces qui fingunt falsa poetæ,
Cæruelos dicunt Æquoris esse deos.
Nerea, Neptunum, Melicertam, Protea, Glaucum,
Indomito credunt dicere iura mari;
Imperium pelagi, sæuumque tenere tridentem
Fabula: nam veros non habet vnda deos.
Non habet vnda deos? Non vllum flumine numen?
Dic quæ fingendi numinis ansa fuit?
Eloquar aurati contermina temporis æuo,
Et Iouis imperio Gens, prius orta fuit?,
Docta salum, riuosque pati, nandique perita,
Et non fessa pigro membra mouere lacu;
Sæpe dies liquidis totos transegit in vndis,
Sumsit & in medio, vina cibumque freto:
Quin vbi dormiret tumido (si credere fas est)
Nocte ferunt, fluctu sustinuisse caput.
Artibus edoctos, & longo temporis vsu,
Stulta, maris magnos plebs putat esse deos.
Hæc lege: perlectis coniungas temporis vsum,
Et fies magnus, mox maris ipse deus.
Namque hic laude liber lauro & dignissimus Author,
Mortales ponti qui creat arte deos.

Ἄνδρασιν ἀλφηστῆσι, τε καὶ λίην ἀγαθοέργοις,
Ἄϊκε νόμισμα νέμειν τιμὰς πολλὰς μάλ᾽ ἔησι
ἦ μὴν Διγβαίῳ, τιμὴ μεγάλη γ᾽ ἀπόκειται
ὃς γένος ἀμερίων διατέμνειν ὑγρὰ κέλευθα
ἐν ταυθοῖ δ᾽ ὑπέδειξατο, γυίοις ἠδ᾽ ἀπαλοῖσι,
ἐντέχνως, ἀδεῶς, κύκνου τε δίκην ποταμείου.

Ἰωάννης Βοῖσ.

PEnnatis auibus quas Icarus abſtulit alas,
Reddidit inuitus, pinnatis piſcibus illas
Hæc ſi iunxiſſet monitis præcepta paternis
Et patulis piſces ſpoliaſſet in æquore Remis:
Qui cupit indomiti minitantia murmura ponti
Spernere, veſanis & ludere liber in vndis,
Icarium cautus factum fatumque reuoluens,
Hæc legat & docto diſpellat pectore fluctus.

SAMMVEL GOODERE.

GRata ſuſurrantis quærens ſolatia riui,
Quo reſoluta graui membra calore leuet:
Fallacem reperit ludi ſub imagine mortem,
Plus ſatis hinc friget qui caret arte puer.
Vt ſecura foret prius inſidioſa voluptas,
Vtque agili blandum falleret arte malum,
Porrigit hanc tabulam Digbeius, ritè teneto
Securè liquidis lude natator aquis.

DE ARTE NATANDI Liber primus.

Caput primum.

Geronicus. *Neugenes.*

Geronicus.



Oelix nobis ſit fauſtaque, hæc per virides campos deambulatio matutina: ſitque ſatis auſpicati ominis, quòd hunc mihi obuiàm accedentem conſpicor. is eſt, an non eſt? is quidem eſt: & quem ego hodiè, hic locorum, hoc tempore mallem omnium: quem ego animo ſemper egregiè charum, certo pro amico, & generoſè a naturâ informato habuerim. Hanccine ego occaſionem tàm opptatam, tàm placidã, tam inſpiratam vt amittam? Huius occurſum declinem? Hunc non ſalutem? Imò verò ſponte accedit, & pudore gratioſo ſuffuſus, benè ominantem nobis ſalutationem offert. *Neug. Geronice*, mihi poſt nullos ſalutande, ſalue. *G.* O ſalue *Neugenes* optatiſsime. quid? ſub quo fauſto & fælici ſydere, alter alterum amans, neuter neutri, niſi de facie notus, vtriuſque quaſi ſponte ſe promouente ſua, hodiè iſthîc locorum conuenimus? Nùm *Iouis ſtella* ſummo horizonte elata, vel clarus Phæbo viam præmuniens *Lucifer*, vel aureo iam vultu ſurgens *radiatus Titan*, plęnam hanc nobis optionem, in medium adduxit? *Neu.* Id ego prorſus neſcio: eò magis miratus, quòd relicta ſolita veſtra ad cacumina montium deambulatione, in imam hanc vallam præter morem & conſuetudinem veſtram, deſcenderis? *G.* Ne mireris, perbenigne mi, quòd mutata velificatione, vallem hanc ripaſque placidi omnis acceſſerim. *N. Sapere* aiunt *iſtuc eſſe, vbicunque opus eſt ſi animum poſsis flectere.* Sed iſthæc è ſolita veſtra ſemita deflexio, & ad nos reflexio, inopinata ſimul ac grata eſt: & non poſſum non mirari vnde ſit, *G.* Imber largiſsimus ſæpè guttis exiguis diſtillat: fontes vberrimi anguſta ab origine manant: & ex paruis principijs, ſępè magna conflata eſt amicitia. *N.* Qualis ſopor feſsis, arctoque in carcere vinctis, libertas: talis mihi hodierna congreſsio. & ab ore tuo, melle dulcior fluens

oratio. *G.* Nitor orationis hinc omnis abest; & verborũ lumen: veritas autem ipsa subest, omnis sermonis nostri medulla: ipsa me ab vsitata meta, ad hanc deflexionẽ voluntariam facilè deduxit, quòd neque hâc tam mane egredior, neque tam vesperi domum reuertor, quin te in prato isthoc conspicer: aut ambulare, aut sedere, aut clarum amnem inspicere: sic cogitabam; aut hic natandi multum appetens est, aut meditatio eum tenet melancholica. *N.* Rem vtrinque tenes. Amnem enim ingredi (etsi ignotum) animo multùm affectaui meo. Hac cogitatione vlteriùs paulo prouectus, tandem riuulus illè transuersè pergens, processum anteuertit nostrũ, reuertique me modò compulit. Huius postquam margini pedem semel appulissem meum, tranandi multùm appetens, rem mecum sic expostulabam tacitò: quàm ego sum prorsùs ignauus & omninò impotẽs: pisces tutò pernatare angues, oues, boues, equi, asini, si necessitas vrget, transnatare facilè possunt: Ego autem vitæ tutandæ aut redimendæ gratia, riuulum tentare nequeam? non ausim? non possim? neque verò cuiquàm hominum datur, natura vt natet, sicut solent bruta animalia? *G.* Hominis multò maiora commoda sunt. quàm quæ cæteris competunt creaturis, diuiniora etiam plurima. Quódque tute (vulgatam errantis populi opinionem sequutus) non opinaris, illud certum est & veris principijs comprobatum: *hominem* sicut cætera animalia, *natare etiam natura.* Idque sequenti vlterius dicemus oratione. *N.* Haud facilè credo. *G. Dies adimit ægritudinem* hominibus & nostra oratio liberius paulò vlteriusque procedens, te per docebit illicò, hominem, etsi primo aditu ceteris ineptior videtur, fine tamẽ multò commodiùs natare & perinde gloriosiùs. *N.* Quî cedo? *G.* Quod tute homini vitio vertis id sibi laudi ducit. *N.* Laudem ego hanc infra infimas aquas amandandam sentio, quæ homines summis in aquis perire sinit. *G.* Sine me peruenire quò velim, atque hoc tibi dubium verbo expediam. Animalia cætera, tecta, ornata, armata etiam, è suo fætu, in lucem locuples natura promit. *Taurus petit cornu, dente aper, cauda leo,* aconitis *Venenosi vermis, homo verò inermis, nudus, imbellis,* infans, in lucem hanc prodit. *N.* Quam ob rem brutis hæc omnia donauit, homini verò eorum omnium duci ac dominatori, eadem prorsus denegauit? *G.* Non est, (vt opinaris) dura nobis nouerca natura; imo homini nullum proprium victum, aut cultum peculiarem præscripsit, vt cætera omnia tam animata quàm inanimata,

sibi

ſibi hæc affatim miniſtrant omnia. *N.* Quamobrem in aquis perire potiùs quàm cum cæteris natura natare voluit. *G.* Etſi omnis ſcientiæ igniculi nobis a natura ſint inditi, tamen huius facultatis ſaluberrimæ plus quàm igniculos, immò rem potiùs ipſam natura homo adeptus eſt. Siquidem quòd tot indies profundo liquido pereunt, id potiùs ſua ipſius culpa, quàm naturæ vitio eſt commiſſũ, mox vt dicetur multo etiam cumulatiùs. *N.* Quàm fœcunda mater humano generi ſit natura quàmque indulgens nutrix, id ego neſcio: hoc vnum ſcio quòd cætera animalia ſalua ab aquis egrediuntur, homo autem ſolus perit in aquis. *G.* Hoc niſi fit, natantem vt tu videas in aquis ſemel ſolum hominem tute omnium animalium multò miſerrimum opinaris. *N.* Scio hominum magnam partem poſſe natare, ſed magnis cum laboribus, & ſummo nõ ſine periculo: adeò vt nonnulli fluctibus ſæpè obruantur, antequam ipſam artem primo limine ſalutare poſſint. *G.* Homo faciliùs quàm cætera animalia ad fundum diſcendit, idque quòd erectus graditur; cætera verò prona & in terram proiecta. Sed tamen ſicut inter cæteras aues, *mille ſola varios refert Philomela modos:* Ita quidem hominis in aquis agilitas, cæteris omnibus animalium omnium, omninò etiam prælucet. *N.* De veſtra in hac re dexteritate, multa ſæpè audiui; itaque te per amorem obſecro, hanc mihi artem vt expandas. *G.* Immo primùs determinandum cenſeo (quoniam id dubium quibuſdam eſt.)

AN SIT ARS NATANDI.

N. CVi id dubium eſſe poteſt aut obſcurum, præſertim cum inferiores rationes omnes, quæ vel emolumentum nobis, vel agilitatem, vel tegumentum corporis miniſtrant: artes appellare ſolemus: qualis quidem ſunt: *medicina praxeſque georgicæ, militaris, nautica, fabrilis, Grammatica, Rhetorica, Muſica,* ratioque tota *mathematica,* quarum rationes etſi clariores ſint: tamen nulla harum hominem in ſumma pericla coniectum liberare poſſunt, ars quod ſolet natandi. *G.* Veram tute refers opinionem, arti natandi haud mediocriter congruentem: ſed tamen dubium id diu fuit apud maiores noſtros, & adhuc ſub iudice hæc lis eſt: Cùm & aliæ rationes (vti bene & prudenter dixeris) licet infimæ illæ quidem artium titulo inſigniuntur, & ſuos etiam notos profeſſoſque authores habeant. Rem ornauit *georgicam* Columel-

la, Romanuſque Maro: *militarem* Vegetius: *medicinam* Hippocrates & Galenus, *iuridicam* Iuſtinianus, *ſeptem liberales* Priſcianus, Ariſtoteles, Tullius, Euclydes, Boetius, Ptolomæus|: *coſmographica* Munſtherus, Pomponiuſque Mela; *mappas globoſque* Mercator, Ortellijque theatrum: *magiam, naturalem*, Cardanus ſubtilis, Alexis, Albertus cognomine Magnus; Supernaturalem, & quam appellamus *manticam*, ſcilicet, *necromantiam, neciomantiam, ſynomantiam, geomantiam, arithmantiam, pyromantiam, chiromantiam*, Bacho, Catto, Lumbardus, Albanus, Agrippa, Tritenniuſque Albas: *characterica* hieroglyphici Ægyptij, Sophique Arabes, Magique Babilonij, & Paracelſus ille *alchimiſtica* Geber, Lullius, terque maximus Hermes: *cabaliſtica:* Ruclinus, Rabini, Thelundicique: *penumatica*; *inferiora:* Speculatio Angelica, ignotique nominis volumina multa: ſuperiora autem, Apolonius, Arbarell, Salomon: *ars verò natandi*, quæ ſola ſummis, ſummè periclitanti in aquis vitam conſeruant, paucos, ſeu potiùs nullos agnoſcit authores, qui artificium ſuum, ad vtilitatem periclitantium, & ſecundùm rei dignitatem graphicè depinxerunt. Quod de honeſto *Tullius, etſi à nullo laudetur, laudabile tamen eſſe natura* idem *de arte natandi* liberè pronunciare licet, etſi à nemine ad hunc vſq; diem, in omnes ſui partes rationeſque methodicè ſit digeſta, eſt tamen ars ipſa magna per ſe, & vitæ humanæ in ſummis periculis præſens conſeruatrix. Id etſi è claris principijs imperito tibi nondum eluceat, tandem tamen expertus *crede concluſioni. N.* Diuine vates ſiſte modo, ſol enim ad meridianum feſtinat; deſine ſoli meridiano ſuffundere lumen. *Diſcentem oportet credere*, & tua me dictata docent, hominem natura ad natandum aptum eſſe, artificioſè verò natare ſæpenumerò, facillimè, eleganter & quodammodo quaſi glorioſè. Etſique his oculis non multopridem multos natantes non vidiſſem, crederem tamen, & iam credo, *veram hanc eſſe artem, ſed qualis tandem liberaliſne, an mechanica.*

Cap. 2.

Ars est mechanica.

G. Liberales ſunt & dicuntur, quæ à libera mente, eiuſque intellectione pura, per ſimplicem ſpeculationem procedunt, opus

pus suum proprium, immunes prorsus ab omni naturali materia subiecta scientificè perficientes: quales quidem sunt septem scientiæ liberales: quarum *tres primæ Sermocinales reliquæ Mathematicæ* nominantur. His aliæ sunt pedisequæ & vocantur *machanicæ* quod ad *liberales scientias* sese habēt, eodem prorsus modo, quo ancilla ad dominam, & corpus ad mentem: quandoquidem *mechanica*, corporeis actionibus perficiendis, *liberales*, mentis conceptionibus explicandis, apprimè sunt acccommodatæ. Itaque quòd diuina relicta mente, regioque eius regimine, ad seruile corporis ministerium, (vt solent *machæ*) sese subducunt appellantur *machanicæ* istæ quidem & *seruiles*, exteriùs opus suum & non sine sudore corporis (nec tamen sine magno artificio) perficientes. Hinc ergò artes appellantur. Et quamuis non sine materia corruptibili, opus suum perficiunt: tamen si vel *medicinam* ipsam, vel artem omnium *chemicam*, vel *natandi* etiam (omnium minimè necessariam) æquo iudicio ponderemus: facilè intelligemus, *machanicas* quasdam, etsi sine adminiculo *liberalium* exactè perfici nequeant: tamen illis omnibus longè clariores, diuiniores, vtiliores, & ad vitam hominis salutemque propagandam multò aptiores. Id ex collatione vel *medicinæ* cum *grammatica*, vel *alchimisticæ* cum *arithmica*, vel *natandi* cum *rhetorica*, apta collatio docet. Quòd si *ars medica* verè honorabilis dicta sit, & optimo iure dicēda, quia morborum humorem venenosum purgat, aut pestem abigit, aut mortem in diem vlteriorem differt: non iniuria laudanda nobis & obuijs vulnis amplexanda occurrit *ars natandi* generosa illa quidem, & in summo aquarum discrimine (vbi nec opes, nec amici, nec genus, nec scientiæ liberales, nec artes omnes auxiliari valent) vitæ opem ferens præsentem præsidiumque tutissimum. Huius ego dignitatem hodie & vsum multiplicem aut cum *medicina* affinitatem non comemmorem? Quot cutis prurigines malasq; multas affectiones & immundas abigit huius exercitatio? *Digestioni præsertim solidissimorum ciborum & naturæ vim superantium*, quàm commoda? Immoderato corporis calori sedando, qnàm congrua? iucundæ animi oblectationi, quàm familiaris? Vitæ denique tutandæ & conseruandæ, quàm omninò necessaria? *N*. Tot commodis, tantisque laudibus *ars natandi* cumulata, nulli artium liberalium secunda mihil videtur. *G*. Vsum si spectemus, vitæ humanæ multò hæc est coniunctior: sin ipsam artem *habitumque animi*, vnde reliquæ omnes procedunt actiones contemplemur: facilè intelli-

 telli-

telligemus a ſtatu ſcientiæ liberalis eam haud multò abhorrere. Siquidem gleboſi, terrei plumbei, hebetes, ruſticique pænè omnes, fundum rectà petentes, ad hanc plerumque facultatem ſunt ineptiores: at liberiori qui fruuntur ſpiritu, animoque verè liberali ſunt hî præ celſitudine animi, vel ſponte nonnunquàm ſummis proſiliunt aquarum fluctibus, exigua, aut ſaltem nulla præmiſſa exercitatione. *N.* Benè ſe res habet. *Ars ipſa eſt mæchanica*, initio magna contentione partium corporis aggrediunda. Hoc ſcire præſens cupio, quis

Cap. 3.

PRIMUS NATANDI GRADUS?

G. PRiuſquam natationem ipſam experimur, multæ ſunt acceſsiones receſsioneſque, experientiæ crebræ, decubationes ancipites, extentiones nonnullæ incaſſùm eiectæ. *N.* Sed ex his quis primus natandi gradus eſt, quẽ poſtquàm ſumus adepti, tum natare dicimur? *G.* Verbo vt edicam primus natandi gradus eſt, *ſolius aquæ ſubleuamine aquarum regione ferri*: idque dupliciter vel *in ſublimi, capite ſumma aquarum ſuperficie elato*; vel *inferiùs capite demiſſo, mediā amnis regionem, corpore poſſidente*. *N.* Initium hoc eſt pluſquàm dimidium totius. Iam etiam, vt abſolutè teneam totam hanc rationem, quis eſt

Cap. 4.

NATANDI FINIS?

G. ALijs, æſtuante ſolis ardore, nimiumque ſudante corpore, refrigerij iucunditas; alijs cutis munda ablutio: alijs iocus luduſque hic elegans & liberalis; alijs vitæ ab aquis tutandæ artificium; alijs alia; ſiquidem *trahit ſua quemque voluptas* Sæpè verò, ac multùm cogitanti mihi, commoditas neceſsitaſque potiorem locum ſibi ſuo iure vendicare debent, quàm voluptas: cuius vana titillationes iuuenes multi, ijdemque verè generoſi, irritati, nociuam nonnunquam voluptatem dolore ementes diris ſe vouêrunt periculis, triſte poſt lugubrem exitum, nobis eorum deſiderium relinquentes. *N.* Itaque herclè cognito fine, omnes actiones noſtras eidem

dem

dem accommodare posſimus. *G.* Finis, qui ſequitur e contentione noſtra dum natare ſtudemus, eſt *tranſilire flumen, fundum nulla parte corporis, omninò pertingente : Finis verò, cui deſtinatur hæc ars, eſt vitæ ſalus ſummis aquarũ periculis.* *N.* Hanc homini præ cæteris animalibus facultatem natura denegauit, & tamen diu mecum multùmque dubitaui.

CAP. 5.

NVM OMNIA BRVTA NAtant natura.

G. INdulgentiſsima omnium parens natura, vnicuique ſatis firmã, ſolidamque ſui defenſionem miniſtrauit, ſed tamen non omnibus neque contra omnia, multò minùs contra immedicabilem in aquis ſuffocationem. *N.* Quæ animalia natant natura? quæ non? *G.* De omnibus verbo dictu eſt quidem difficile. At verò ſi naturæ fabricam vniuerſalem & diſpoſitionem ſimplicium in compoſitis obſeruemus, nobis citiús faciliùſque elucebit. *N.* Quam tu animaduerſionem narras? *G. Cuius quodque compoſitum elementi maximè abundat, eius plærunque motum, actionem, locum, affectat naturaliter,* vti priùs de carnoſis, plumbeis, hebetibuſque præmonui idem iam tibi de tanta animalium varietate renunciandum cenſeo. *Naturæ ſequitur ſemina, quæque creatura ſuæ: ita, quò natura direxit, eò tendunt naturaliter naturalia omnia.* Quibus cauernas terræ creatio deſtinauit, ea ad natandum aut prorſus ſunt inepta, aut maxima difficultate in aquarum ſublimi ſe ſuſtentant. Id patet exemplo : vermes ſubtùs degentes, aquas iniecti, fundum petunt. Bufo latiori corpore eſt, & forma ad natandum ranâ aptiori; & tamen quòd ſub terris degens bufo, terreum venenum cauernis terræ repoſtum; rana autem viridi ſub fronde lepidè ludens rorem aereum captat : *bufo petit fundum facilliùs; rana (niſi de induſtriâ deſcendat) in ſublimi, (hominis ventre, natationem omninò repreſentans) fertur, Anguillæ & angues,* illæ luto paſtæ, eoque habitantes, difficulter natant in alto : hi aura veſcẽtes, capite corporéque aeri contiguo, latitudinem amnis tranſigunt. Similis eſt etiam ratio volucrum: *hirundines, volantes, aereo muſcarum corpore paſcuntur;* volantes etiã ſũmo de amne guſtãtes bibunt: itaq; celeriùs cæteris volatilibus quæ terra degunt & continentur, prouolant, reuolant, auolant.

auolant. *N.* Fontem hunc generalẽ gustans partim intelligo, qualia illaquidẽ sunt, nunc verò nomina eorũ audire cupio, vt certò teneã.

Cap. 6.

QVÆ ANIMALIA NAtant natura.

G. SIcut inanimata corpora, quæ plus aeris aut ignis possident, ea difficiliùs aquis immerguntur vt lignum: quæ verò aquæ terræque plus sapiunt, ea difficulter supra natant aquas, vt plumbum: ita quidem *animalia quæ calidissima sunt constitutione corporis, ea, facillimè, velocissimèque summis prolabuntur in aquis. Leo solis bestia*, quia calido est sanguine, membris agilibus: corde generoso, facillimè fortissimèque natat. Huic similem se præbet inter natandum *canis temperatè calidus:* inferiori autem gradu, *equus, bos, asinus, porcus* suis necis conscius. Nec verò bruta hæc animalia, tam facilè natant præ temperie corporis naturali, quàm præ tumida corporum figura in longum proiecta, benèque ad natandum disposita. *N. Cur non Gallus, similiter atque anates natat,* cùm sit auis Solis, anas autem *auis Saturnia*? *G.* Quia membranæ sibi pedibus desunt, quas *cygnis, anatibus anseribus* natura donauit, quibusque se inter natandum dirigunt. & quibuscum volatum petunt, sese ab aquis erigunt, eleuantque. *N. Gàllus* si alas vtrinque expandat, num in aquis periret? Minimè, caput si erigerit. *N. Et volucres, & vermes, & quadrupedes penè omnes se in aquis seruare* nôrunt, quid homo? nihil ei tributum est a natura. *G.* verum verbo vt proloquar.

Cap. 7.

HOMO NATAT NATVRA adiuuante.

N. QVare ergò tam citò omnes penè periclitantes in aquis, descendunt fundum versus, & pereunt illicò? *G.* Id partim fit præ erecta, procéraque hominis figura, cuius pedes terram vt premant, cùm à natura sint destinati; sicut armata ferro sagitta, liquidò descendit in in amnem, cui ferrum si fortè adimas, ipsa summa

ilicò natat aquarum ſuperficie: ita pol quidem, aquas ſemel immiſſus homo, ſi ſe in longum extenderet, ſimilique poſitione vteretur, ſiue caſu illud foret, ſiue conſilio, neutiquam immergeretur. *N.* Quantum intelligo, *totum artis natandi opus latet in proiectione*, *G.* Etſi ea aditum ad reliqua ſatis clarum & apertum nobis dedat: tamen vel ſi id fortè factitet ab arte abhorens, vel (quod poſtea planiùs docebo) ſi cœlum vultu fixo ſuſpiciat, quieſcens manibus pedibuſque omnique corporis motu (quod nulli quadrupedum conceditur) is natat ab omni aquarum periculo omninò immunis. *N.* Qui indies ſub aquis pereunt, ij more prædicto contendunt manibus, pedibuſque *G.* Minimè, ſed ſe incuruant, aquas obuijs vlnis amplexantes, magna attractionis vi ac violentia fundum petentes, cumque fixis manibus comprehendentes, quod natandi peritior paulò ſine magno labore efficere non poteſt. Nec verò rudis ille & natandi imperitus, ad fundum vſque demerſus, ibi ſe diu retinere poteſt, quin reluctante ſeipſo ac renitente, ad ſummum aquarum bis terue aſcendit. Quæ quidem omnia apertè docent, *hominem natare ſummis aquarum adminiculo naturæ*. Verum cùm ita ſit vita hominis *quaſi ludas teſſeris*: ſi illud quod maximè opus eſt, à nobis iactum non eſt; illud quod iactum eſt, id arte eſt corrigendum. Quæ quidem humanæ naturæ adeò eſt conſentanea, vt huius fretus auxilio ſemel ſi ſit.

CAP. 8.

HOMO CÆTERIS ANIMALIBVS natando præcellit.

N. PAce tua dictum ſit & patientia, etſi pluribus inter natandũ homo prælucet animalibus, *tamen non omnibus*. *G.* omnibus. *N.* quid de aquatilibus affirmas præſertim autem piſcibus, qui viuunt continuò in aquis, ſagittarum inſtar, inter natandum eiecti, flexi, reflexique, huc illucque ſurſùmque & deorſum, mirificè, omni prorſus amota defatigatione? *G.* Piſces à natura huic elemento ſunt aſcripti, hicque locus ſibi naturalis, reſpiratione eſt omninò vacuus: homini verò ſpiranti, reſpirantique huiuſmodi eſt violentus quidem & lethalis; *vnde, piſces in aere, homo in aquis, diutiùs detentus interit*. Hinc piſces natandi ſibi præcellentiam perpetuam

am uendicant. Etsi penitiùs paulò rem ipsam vnà cum aquis si inspiciamus; pisces hac ipsa quoque ratione, homine natandi perito, sunt longè inferiores. Hic enim horæ momento a summo ad imum profundi perpendiculariter descendit, quærit, apprehendit, euehit atque aduehit, aut amissum priùs, aut incognitæ areæ signum, à longè proiecta, signa tria aut quatuor autem diuersis locis immersa (saltem visibilia) antequam vel viderentur, vel videri possent, subtùs natans rectà aggreditur, reducitque. Supinus natat, pronusque, dexterè sinistrè, stat, sedet, iacet; vestes, aliaue tutò portat, transportat, reportat; ambulat ad placitum etiam in profundissimis aquis, quæ quidem facultas piscibus longè est aliena. *N.* Quàm mihi irritatum animum incendisti? Adeò vt ipsa hæc videre vellem, & tentare etiam quoad possum summoperè. *N.* Viridis his campus est, *sed terra subest nigra*: olentia prata, sed *anguis in herba*: perspicuus amnis, *sed mors nigra latet in fundo. Ignis, aqua dominans*, duo sunt pietate carentia *Bis cauet, qui benè cauet*, & tutè ab his malis benè caueto. *Pericula qui est aggressurus, præmonendus est:* & hic mihi dies vt sit satis ad narrandum vereor, *N.* Pergas ergo precor salutaris orationis tuæ filum producere, *G.* (quod dicturus eram) hanc viam experturus multa præuidere debet, & pernosse, ne tandem longo febrium & malorum morborum tædio distentus, præ sua temeritate, ab hac optima arte prorsus abhorrens, eidem maledicat. *N.* *Quæ prima est obseruatio. G. Primò*

Cap. 9.

TEMPVS ANNI EST OBSERVANDUM.

N. Tempus quod est pròpriũ? quis ve mensis maximè tempestiuus? *G. Dira si cogit necessitas*, omni tẽpore omni ætatis dispositione, omni etiam aqua natandũ: sin *tempus* postulas, *quo cõmodissime* aquis tenerã cutẽ cõmittere solemus; *illud quatuor mensibus concluditur* & continetur. *N.* Qui sunt illi quatuor? *G. Climate octauo* habitantibus, *Maius, Iunius*, Iulius, *Augustus* placabilem quidem natandi & aerem præbent benè temperatum. *N. Maij* rigidi sunt afflatus & nonnunquam paulò asperiores. *G.* Sunt quidẽ, pluresque quàm in cæteris tribus & multò nocentiores: itaque sicut

cut in alijs, ita hoc quoque menſe *electio temporum eſt facienda. N.* Quæ eligenda cenſes,quæ etiam euitanda tempora? *G.* illud cum ad plagas *mundi earumque ventos* explicandos deuētum erit, altiùs euentilabitur. *N.* vtrum à *principio maij*, ad finem vſque *augusti*, tutò & ſalutariter natare valeamus? *G.* Etſi in *torridis menſibus* ac diebus. quibuſdam horis aquæ ſint frigidiores minùſque ſalutares,quàm in alijs tamen à 20 die *maij* (ſole *ſignum gemini* occupante) ad ultimū vſque *augusti* (*ſpicam virginis* ſole tunc temporis ſalutante) percommodè natare valeamus *N. quæ eſt præcipua*

CAP. 10.

CAVSA TEMPESTIVI MENSIS ET *intempeſtiui*?

ET quare *Martius* aut *Aprilis* aquas aſperiores fouent,quàm *Iunius* aut *Auguſtus*? *G.* Quia *influentia cœleſtis*, his menſibus ſedatiorem reddit aerem,quàm *Martio* aut *Aprili. N.* Nonne cœlum vndique ſurſum eſt & vniforme? nonne ſtellæ eadem ſemper claritate ſunt,eandemque ſemper virtutem inferius emittentes. *G.* Ita eſt. *N.* Libenter ego ſcirem, vnde primò hæc varietas diffluit? *G. Superior quæque natura ſuam regit inferiorem. N.* Verum illud eſt; *ſed cur non eadem eſt animò ſtellarum influentia. G.* Scilicet *varietas poſitionis ſolis ac lunæ. N.* num horum corpora , aliquando *propiora*,aliquando remotiora a nobis ſunt? *G. Reſpectu motus excentrici & concentrici*,alijſque tibi nondum notis, ſunt. ſed hæc inſenſibilem reddunt *varietatem. N.* Quæ ergò manifeſta eſt huius mutationis origo? *G. Solis ac lunæ motus*, tam latitudine quàm longitudine : quorum illi acceſſu, & receſſu, hyemem æſtatemque efficit : hæc menſes,dies,horas temperatiores aut vehementiores reddit,idque aquis, aquoſiſque omnibus præcipuam quandam regionem ſibi vendicando. *N. Quare ſol calidiorem radium* nobis æſtate emittit,quàm hieme, cum æquali ſemper à terra diſtantia ſit ſepoſitus? Quia propiùs accedit ad zenith noſtrum & directiùs noſtrum clina ſuprè ponitur, vnde eius radij directiùs ac magis perpendiculariter in ſuperficem terræ incidentes, maiorem etiam reflexionem reddunt & perinde ardorem vehementiorem. Sicut patet ex diuerſa ambulatione tua quotidiana per valles iſtas,meaque

alto cacumine illius montis frequenta. Sol vtrisquen ostrûm similem emittit radium, dissimilem tamen calorem excitat, Hic enim locus valdè fervidus est, quia solis radij sunt hic residui cacumen verò, frigoris maioris est particeps, quia radij facilè transiliunt montem. Ita quidem hieme cum radij sollares obliquè in terram cadunt; propter latitudinem positionis solaris facile transeunt; æstate verò cum directè penetrant terram *residui* sunt, & calorem supra terram excitant multò maiorem. Vlteriorem verô originem huius si perquiras, *nempe, quare sol accedit æstate, hyeme verò recedit*; id *liquet ex obliquitate zodiaci*, cuius latitudinem cis *æquatorem* semel sol ingressus, versus *septentrionem* vrgens, altumque cancri caput affectans, aerem temperatiorem reddit, & perinde aquam atque terram. Huius rei indicium sunt, & effectus satis euidentes, *solutiores nebulæ, scatebræ frequentes mense terram rigantes Aprili; flores Maij*, frondosis dumetis *congesti auium nidi, minuti* (vt vides) *riuulis scaturientes pisces. Quæ conuersio veris in florentem æstatem* (Phœbo 12. *Maij* gradum *gemini* calcante) liberè procedit. Quòd verò quidam menses, diesque & horæ, solito siue rigidiores siue vehementiùs calidi, id ex *Luna ventoque* posteriùs ediscendum restat: interea primum temporis interdicti differentiam vt teneas, tibi

Cap. II.

NOCTIS NATATIO EST euitanda.

N. QVid, non licet a 20. *Maij* ad 1.*m. Septembris nocte natare?* *G.* Non neque omni die. *N.* Hæc ego tenere cupio, saltem illorum audaciam vt reprimam, qui sese aquas nunquam diffugisse iactitant. *G. omni nocte & quibusdam etiam diebus interdico tibi aqua & igni: illa ne nimium frigeas, hoc, ne hoc mense calescas plus satis. N. Dic* (quæso) mihi, inerdictorum dierum *quis est primus? G. Primò, noctis natatio omninò est euitanda N.* Solent plærumque nostri nocte natare omnes, & liberiùs fluuio sese mersare salubri. *G.* Sed post longam pœnitentiam, peritioribus non est sic vsus *N.* Aqua nocte sæpe est tepida. *O.* Sic videtur propter ἀντιπερίστασιν aeris circumstantis, & quia semoto calore solis, aer refrige-

rij iam capacior, aquæ sedatum calorem commendat. Sed tamen nō est iam mutata ab illa, quæ modo fuit, aqua, aut qua fuit temperie. Sin dubitas vtrū ab hac differentia, an potiùs a varietate aeris, corporisque nostri dispositione varia procedit, an ipsis aquis sit insita: quocunque vespere solis sub occasu nataueris, egressus semel (solis capite, alto cubili reposto) & vestitus paulò post, manum in amnem demittas, quò diutiùs prius nataueris, tantò tepedior aqua sensibiliter visa erit. Id fit primò quia corpora nostra iam madidè sunt infrigidata, & aer non tam feruidus est atque priùs, phæbo viam oculis lustrante. Sit aut non sit, multò nobis gratior visa est. *G. Gratior est pulchro veniens è corpore virtus: nocte etsi multæ corporis latent mendæ; lucis tamen & diei est formosissimus amnis. N. Cur tu noctis natatione mihi interdicis.* O. Quia sol abest *solatium verum, dux viæ, lucibilisque author tenebræ verò mortis nobis vmbram protendunt, quæ profundis latet in aquis.* Præterea nocte natanti tibi vide quot occurrant lethifera discrimina, eademque repentina ac inopinata. Furca luto infixa, lapides acuti in altum surgentes, rami subiecti, *mala gramina lutoso fundo cresentia:* infinitaque alia præsentis mortis pericula, quibus forsan si pericliteris, aquis submersum nemo te vidit, nemo audit, nemo meminit, nemo respicit, tenebris colludentium reliquorum nemo suspicatur: nisi fortè cum aquis egresi omnes, superflua iacente toga, quisque inuicem, cuius *hæc est? vbinam ille est?* tenebroso amne conclamatū est, vndique couquestum: *gelidus coit sub pectore sanguis, actum est, illicet, noctis tenebroso opertus tegmine perijt.* Ad hoc extremi descriminis periculum, alia etiam accedunt incommoda: *noctis fumi crassi, ab aquis surgētes, nociui; aquæ spumosa superficies, bufones, ranæ, angues, anguillæ sese in flumine lauantes, absentia denique solis, aquis exeunti, capitique præ aquoso frigore dolenti, præsens medicina.* N. In his mensibus nullus dies est natanti euitandus. *O.* Etsi mensis sua natura satis sit æstiuus; tamen

CAP. 12.

NON OMNI DIE EST NATANDVM.

N. HOs ego dies horasque dinosse cupio. *G. Debita temporum & solers* obseruatio horum notitiam tibi suppedita-


bit. Quidam enim ſunt dies horæque aquaticis exercitationibus omnibus alijs, nocentiores: quibus & aqua frigidior multò quàm anteà & aer crudior, & perinde tota hæc exercitatio periculoſior. *N.* qui ſunt illi dies quæue horæ. *Dies horaque interlunij*; præſertim ſi contingat *ſignis terreis aut aqueis* & frigidiores reddit aquas, & corpus humanũ eodem prorſus modo, ad aquas ſubeundas reddit magis ineptum, ſtomachumque crudum. Idem euenire *ſolet luna ſignis terreis aqueiſque inhoſpitante, ſole item, lunaque eclypſin in huiuſmodi ſignis patiente. N. Alijs ergo* omnibus diebus fluentũ ingredi licet. *G. Non omnibus* ſicut enim apud poetam, I*unonis ſuaſu. Æolus ſubditò fluctus ſolito concitatiores reddidit:* ita nonnunquàm, *vel* I*ouis ſtellæ Saturniq; in aqueis terreiſque ſignis coniunctio, Martiſue aut aliorum,* turbines aere conſitant. Vnde ponto frigida nonnunquàm diffluit hiems, & non tractabile cœlum. Itaque ſicut nautis priuſquàm expanſis velis, altum araturi: itidem etiam aquas temperatas cupienti

Cap. 10.

VENTVS EST OBSERVANDVS

N. Svntne vaſto gurgite fluctuantes aquæ, pacatis frigidiores? *G. Minimè* calidiores nonnunquam ac clementiores. Sicut enim mens fera ſæpe latet, ſub molli cute: ita quidem tenuis nonnunquam ſpirans aura, frigidiores reddit àquas, quàm ingens ab alto erũpens æthere turbo *N.* Quæ cauſa huius diſsimilitudinis eſt? *G.* Venti ſunt *aſperiores clementioreſque prout plaga mundi eſt, à qua ſpirant N.* Qui venti natantibus ſunt amici, *quiue inimici? G.* Quatuor ſunt venti cardinales *Septentrionalis, Meridionalis: Orientalis & Occidentalis.* Horum duo ſunt amici corpori humano, & vegetalibus, ac elementaribus, ſcilicet, *auſter & zephyrus,* eorumque ſpecies. Hi aquas clementiores nobis dedunt. *Duo item ſunt* frigidiores, corporiſque humani, aquarumque penetrantiores: *hi ſunt Borealis ventus, Euruſque cum omnibus ſubſpirantibus ventis: quorum quidẽ plagas* ante oculos tuos digito deſignatas dabo. *Secundũ ſententiã Ariſtotelis numero duodecẽ: huncq; in modũ, carta depingũtur.*

N. Ho-



N. Horum quis præcipuè est fugiẽdus? *G.* Fortis animo, robustusque corpore, paucis adhuc febribus domatus, nullum diem vitare nullum ventum subterfugere solet: sin aquas asperiores fugere, clementiores, temperatioresque appetere velimus, & certò tenere, quæ tempestates saluberrimæ, quæ omnium humano corpori nocentissimæ: *præ cæteris omnibus impense caueto ab Euro:* iuxta enim prouerbium, *nec homini nec bestiæ est salutaris.* Secundò, docet

Georgicũ illud. { *Nec tibi tam prudens quisquã persuadeat author,*
Tellurem Borea rigidam spirante mouere.

vt boreas infrigidat, ſed non tanto cum periculo penetrat, inficitque corpus. *Reliqui omnes ſunt tuti ac ſalutares:* quoque ab his remotiori plaga procedunt eò ſunt iucūdiores magiſque ſalutares. His cognitis alia ſunt leuiora incommoda præuitanda etiam. *N.* Quæ ſunt illa? *G.* Etſi Ventus ſit *auſtralis*; aut *Zephyrus* clementer ſpiret, tamen ſi fortè pluat:

Cap. 14.

DVM PLVIT NON NATANDVM.

N. His mos eſt huius diei peruulgatus, & hunc frequentantes in aquis dum ſunt, ripa aſtantium ignauiam, prorſus exultantes derident. *G. Id quemque maximè decet, quod eſt cuiuſque ſuum maximè:* ego iſthuc ætatis cum eſſem, puerilibus hiſce iocularibus animum ſolebam oblectare meum. *Verum hæc dies aliam vitam affert, alios mores poſtulat*; aliud alios noſtris veſtigijs inſiſtentes manere iubet. Deſcendentibus *ſcatebris natare*; iocularis eſt, & res iuuenili ardori, admodum iucunda. Verū, ſi pænitere tanti non emes, *ſperne voluptates pueriles, nocet empta dolore voluptas.* *N.* Voluptatem in hac re præſentē video, dolorē verò non video. *G.* Claro plærumque & egregio enitens ore præcedit, *voluptas,* nebuloſam poſt ſe & obſcuram ærumnarum traducens multitudinem. Tu ſi iſthic aquarum pluenti ſtillarum copia, ſemel rigatus fueris, aliter ſentias: alijſque clarè èdiceres, hæc aquarum (aere humido frigidoque ſæpè ſuccedente) *multiplex infuſio, corpori* quàm ſit *inutilis, occulis turbulenta, homini* denique *toti moleſta.* Dein alijs alia ſuccedūt iucommoda, ſiccum (vt mos eſt) aquas faſtidientes, cum repetimus, illic terram, herbas, veſtes aquoſo nimbo auatas inuenimus frondes ſtillantes vndique: frigidi madefactis veſtibus induti, quo iam ſalutis deſcrimine non circumcingimur. *N. Egreſſi optata iam ſumus petiti arena: aliudne reſtat, priuſquàm aquas intremus N.* Scilicet.

Cap.

CAP. 15.

RIPA DILIGENTER CONSIDERANDA

N. NIhil nostrâ refert ripa, dummodò præmonstrator viæ nobis præstò sit nosque anteat in aquis; aut si talis absit dummodo nobis sedulo prospiciamus. *G. Loci multa sunt commoda magnaque, multa incommoda. N. Quis ergò est locus commodissimus,* quæue *ripa selectissima. G. Non arenosa, non creta tenax, non lutosa hærent enim* pedibus & exeunti sunt molestæ. *ne sit nimium rudi indigestoque gramine onusta.* His enim subest multa busonum, ranarum, vermium inutilium copia: *sed sit arida, solida, viridis graminea,* iuxtà Poetæ illud. *Area gramineo suberat viridissima prato*: ripa super viridi florescant arbores, a vento certum tutamen & sole. *N.* His opportunè hunc in modum selectis, quid restat quin eamus prorsus, & in medium flumen ruamus? *N.* Mane

CAP. 16.

ANTEQVAM INGREDIAMVR, Aquæ sedulò sunt perlustrandæ.

N. CLaræ modo sint benèque perspicuæ, quid aliud curandum cense. *G.* Alia etiam spectanda sunt. Sed tamē (quod dixti) id imprimis præuidēdū, scilicet, nuda vt sint superficie; *graminibus, Straminibus, spumaque sordida, reliquisque omnibus immundis superfluitatibus vacua.* Dein penitiori oculorū acie ad fundū penetrandæ sunt, seduloque aduertendum ac cauendum meræ vt sint. Si enim turbibæ fortasis fluant, præsentinis superiùs promanantibus, aut tinctorum reliquiarum eiectione, aut balantis gregis ablutione aut superiùs fundi lutosi exagitatione *fugiendæ* omnino sunt quia *cuti & tempori* sunt *inutiles. N.* Nunquid *aliud præcauendum restat? G. Fundi notitia* nobis *certa* habenda est, *quæ qualis, & quanta* sit: quàm eminens vbique quàm depressa. Si enim lutosus sit, vel hâc eminentior, illac valde aut abruptè decliuior, profundiorque valdè, hic locus, natandi imperito, est multò maximè exitiosus. Quòd si peritior tandem fies, aquas, lutosus quibus subest fundus (nisi valdè profundæ sint) ne insultes aliquando. Tybijs enim infixis in

luto hæres, aquis verticem lethali tegmine superantibus. *N. Si forte hæreamus in luto, nonne enixione valida, & labore improbo hoc discrimen superemus?* G. Quantò Robustius contẽdis, tantò profũdiùs descendes: *nisi fortè luto rariori, solida firmaque subsit terra, quæ pedibus semel contigua si fiet, fortè subleuamen fert.* N. Misero hoc casu, quid factu optimum putas? *G. Quibus morbis serò medicina paratur, eorum principia seriò sunt præcauenda.* Non enim tam docendum mihi arbitror, quid periclitantes commodè faciant, quàm quo modo & artificio, a periculis præcauere tutò possumus. *Hæc nosse prima salus est adolescentulis in hoc potior latet ipsius artis narratio. N. Area natanti* quæ est *optima? G. Euidens, arenosa, æquabilis, tersis saxis solida. N. Hæc raro aut nunquã inuenitur.* G. Hunc, *huic propinqua & finitima est eligenda:* Siquidem *pulchrum est prima sequentem in secundis aut tertijs consistere.* Tandem in quo cardo rei vertitur priusquam ingrediaris, *aquæ tibi vndique sint notæ, omni etiam loco & puncto quàm sint profundæ, exploratum habeas. N.* Id quî sciam, nisi periculum fecero. *G.* Istuc periculum in vita fieri graue est. *Dux viæ & præmonstrator natandi peritus tibi opus est.* hic omnem (quo natabis) circuitum sensim pedetentimque perambulet, *tibi cuiusque loci profunditatem planè demonstrans. N.* Sin recens essem, puderetque alijs præsentibus ingredi, talisque si deesset amicus? Neque recens tute es, neque adhuc multum veteranus. Sed esto: *deest dux in aquis, & quem volo, præmonstrator, Prandij cænæue,* aut alio quòuis tempore, cum sis *negotijs vacuus, ripæque multitudine sint destitutæ. assũpta tibi virga piscatoria,* similiue hasta, *eidẽ filo annexo huiusque termino infimo, plũbo illigato, extendas vndique virgam, demisso ad fundũ plumbo.* quod tibi cuiusque loci altitudinem planè demonstrabit, *N. Quid si hastam hanc ad vlteriorem ripam extendere nequeamus? G. Primò ripa ambulans, quo vsque poteris omnes loci differentias ripæ subiecti, hac ratione calleas: Dein aquas ingressus, vlteriùs vndiq; tentes,* quo vsq; omnes gradus illius loci tibi planè sint cogniti: tandem, *nullum alium ingrediare locum donec peritè natare poteris, huncque raro aut nunquàm sine præceptore tuo aut saltem fideli comite.* His benè intellectis pauca iam restant, *vltimo in loco.*

Cap.

Cap. 17.

INGRESSVRO OBSERVANDA.

CVm omnia affatim vndique ſuppeditata ſint, *vide ne tute tibi defuiſſe videare. N. Qui ſe habet, is nihil perdidit. G. Rectè, ſed vt ſe habeat ſaluum ſoſpitemq;,* omnia dictata iam a me & dicenda vtique firma memoria ſunt tenenda *N. Dicta iam facta à me putes dicēda* lucida (vt cæpiſti) ſeriè cōmemores. *G.* Aquas inituris *ſi ſudes, aut ſudaueris modò, ſenſim laxatis paululum veſtibus hucque illucque* aliud agens *te moueas,* donec moderatè repreſſo ſudore, lentæque auræ capto refrigerio, temperatura corporis ſis ſedatiore. *Dein, exutis veſtibus* (ſed ſic vt ſingulis exuendis mora ſuccedat & actio, aut ambulatio moderata; nā omnis mutatio ſubita, corpori *eſt periculoſa) togatus parumper ambules; diligenter obſerues, locum ingrediendi & egrediendi commodum.* His tandem prudenter (vt dictum eſt) & comparatis: animo magno celſoque, aquas perluſtra, accede, retrocede, *ſi natare potes inſulta; ſin imperitus, actūtum ingredere, ad ventrem primo proceſſu tectus, nequemultum huc illucque vageris, donec lentus procumbens, natare animoſe contendas. N.* Hæc ego omnia quàm videre velim? *G.* Iam vnde primò orſi ſumus, eò ſeſe reflexit oratio noſtra; *& optata hæc concluſio;* & tempus & pulſata campanula, opportunè monent, *vt ſermoni noſtro finem imponamus:* alius dies prædictorum omnium, *viuam tibi & præſentem dabit demonſtrationem:* interim memor mei, Viue ac Vale.

Neug. Vt nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Longa videtur opus debentibus: vt piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, dum te
Clarum perſpicuis ſalientem videro lymphis,

Vale.

DE ARTE NATANDI Liber Secundus.

Geronicus. *Neugenes.*

Proæmium.

Geronicus.



Amanti multùm & quærenti, nullum vnquam iter redium ministrauit. Id imprimis & hodierna perambulatio lucida illa quidem ac gratiosa sensim sine sensu peracta, & candida polo humentem Aurora dimouens vmbram, & roseo *Phebus* surgens in cœlis vultu rosque lentis fugatus ab herbis, & gratiosa specie virides frondes, & cantu claro modulantes aues, & opacæ circum sonantes syluæ, & summis pisces colludentes in aquis, & optatissimus meus, quem præsentem conspicor; satis iam satis apertè proloquuntur. Quem qudem egò vultu in signem, & veræ vertutis flore cumulatè decoratum, tacitus prætercam? Vel si heri isthæc nobis ratio non instituta fuisset: si in huuc præsentem, florem iuuentutis nostræ, oculi non essent coniecti: si non sua sponte in occursum mihi festinaret: tantumnè tamen, tam macta virtute, speque germen non ignobili: tantum ac tam diuinum caput, in quo verus inest uirtutis, non fucatus nitor, tacitus præterirem? Quin ignauia discede hinc in profundum fluentis; & ingratitudo mihi multum odiosa apage longè à pectore meo: & tu propè accelerans, *prima dicte mihi, summaque dicende Camena, Salue. Neug.* Hoc me amore donantem plurimum saluere iubeo. Memorem te nostri fuisse, *dictum ac factum tuum abundè satisffaciunt*: meminisse gaudeo, & non neglexisse habeo gratiam. Millies tibi redundet salutatio isthæc tua tempestiua: fœlix sit, clarus huius auroræ splendor, solida natandi spe hac nocte depasto mihi, non inuenustus. *G.* Si virides simul surgentesque inspexeris agros. *Spes alit agricolas, & adhuc tua messis in herba est: Spes victrix periculi*; sub spe procedimus ambo, & benè ingrediendi, & regrediendi salutariter. Sed quamdiu hic præsens fuisti in pratis? num quis in his finibus perambulās? aut, qui sunt in aquis? *N.* Non nul-

multò pridem has ripas accesſi, aquas inſpexi, vndique circumſpexi: neminem, nihil nuſquàm video quod nollem. *G.* Benè ſe res habet: ſiquidem claræ ſunt vndæ hæ, & vndique ſilentes ripæ. In portu vterq; noſtrûm mox nauigabimus. Tuū eſt iam (O mihi poſt nullos memorande ſodales) hiſterni diei, loci ac ſermonis argutè meminiſſe. Accingere locus conuenit, contingit, conueniunt mores, rectè conuenimus ambo: tu veſtes paulatim exue: ego vnâ ſolutus ero. *N.* Non potuit, opinor luculentior nobis venuſtiorque aurora contigiſſe. *G.* Quæ res conſilio geruntur & meditatione prudenti, euenire ſolent illæ plærumque ex ſententia: *temeritas verò, audaxque iuuenilis ardoris effuſio, periculi ac pænitentiæ ſunt nutrices.* *N.* Quantum ſentio, huius exercitij commoda incōmodaque meditata nobis ſunt penè omnia, quid ergò moram trahimus? quid agimus? quid non immergimur? *G.* *Omnis ſubita natatio eſt periculoſa.* Quandoquidem modò ſudauimus ambo, refrigerium captemus ſoluti, lentè incedētes togati. *N.* Mihi ante omnia arridet hic formoſiſsimus amnis, area cui ſubeſt euidētiſsima *G.* *Nitentibus nimium ne credas lymphis: guſtatæ potius quàm potatæ delectant.* *N.* Satis cum ſint tutæ, notæ placidèq; compoſtæ, quid non irruimus? *G.* Et incipiendi, & deſinendi vtique certa ratio eſt obſeruanda, ne nimium præcipitanti ſe in principio, exitus ſuccedat (quod ſæpè vidi) infœlicior. *N.* Verbo edicas velim.

CAP. I.

QVIS PRIMVS AQVAS INGREdiendi modus?

HVnc enim didiciſſe, ſæpè multúmque exoptaui. *G* Imperiti, placido aqua primò ingrediuntur Gradu. Peritiores verò; varijs ſeſe modis, eiſque non inuenuſtis fluento corpora ſua concredunt. *N.* Quibus quæſo? *G.* Recentiores ſimul ac audaciores qui ſnnt, abſurdè hi inſultant erecto corpore, pedibus perpendiculariter fundum affectantibus:

Vti præſens vides:



Ingreſſuri quidam lento gradu gradientes Corpora extendentes ſimul manuſque procumbunt. Vt planè occulos anteponam tuos.



Peri-

Peritorum alij, dextra in collũ iniecta, alij manibus vtrisque: festinanti gradu amnis marginé accelerãtes facie prona, calcibus verò supinè circulãtibus, dorso eorũ aquas verberãtibus: hoceque omninò habitu a ripa feroci cursu auolantes, primò fluctus ingeruntur, In hunc modum.



Alij decurrentes decidunt in latus dextrum vel ſiniſtrum
Hæc vt demonſtratio docet:



 Alij

Alij,ijdemque optimè vti saltantes solent,motu exultanti marginem ripæ accurrunt,eadẽque sublimi agitatione elati,proiectis anteinis pedibus,corpore erecto, sic vt nates ac posteriora tybiarum, primò simulque, summa aquarum contingant: hicmos est facillimus, tutissimus longéque omnium est optimus :cuius, Hoc cape exemplum.



N. Nulla harum, (quod video) insultationũ, est aut indecora aut incommoda, nisi hoc vnum accedat detrimentum: scilicet dum turbulenta hac in aquas submersione profundiùs paulò subsiliant, aquæ per aures naresque meare queant. G. Minimè quidem, saltem spiritum subtus si retineant. Quidam (quod vitio vertitur) imperitiores etsi aqua valdè sit profunda, ad fundum tamen, semel immersi descendunt. Quod & corpori fundum tangenti, & spiritui diutius aquis suppresso, est ingratũ. N. Quod huic malo remedium est? G. Quàm primum aquas contingat, descensionem mutet in conuersionem supinam. Vbi enim primùm incipit conuersio; ibi desinit descensio recta. N. Ingrediendi varietatem artificiosè callens, orationi vestræ mòres nostros consonare velim: aquas contingere simul ac natare multùm cupio. G. Ergo dum recens est hic ardor statque tibi sententia constans minimèq; trepida, ingredere nunc ad me: potis si es, satis animosè hâc atque illâc perflue. N. Dictum ac factum: oh, oh, ohe. G. Quid est? N. Oculis quæ modò placida fuit, teneræ nunc cuti nostræ aqua hæc quàm rigida & frigida sit? G. Ita hodiè opinione auguratus es. N. Nec est opinio maior veritate. G. Verè vis dicam in causa quod est? N. Ita pol quidem. G. Id fit præ desuetudine, omni quæ tyroni multùm est inimica: assuefacto tibi, hæc oblectatio magis erit familiaris. N. Ita spero quidem. G. Quocuuque tamẽ aquas tentaueris die, prima coitio est acerrima: eam fortiter si sustinueris, postea vt lubet, ludas licet sine periculo. N. Introitu satis auspicato video me huc prouolasse Discere iam multum cupio & dinosse, Quis sit

CAP. 2.

PRIMVS NATANDI GRADVS.

G. POstquàm, vti prædixi, vel familiaris tuus natandi peritus, vel baculus manu tua prehensus, tanquam dux viæ profunditatis aquarum te certiorem reddiderit: exinde natationi practicæ teipsum accõmodes. N. Id quî fit? quisque modus agendi? aut quæ incipiendi ratio? O. Principio lentus lento amne discumbito: ventre deorsum, facie cœlum spectante, capite collóque erecto; dorso præ extensione pectoris incuruato, tybijs a fundo eleuatis, & proiectione vnâ expansis: deinde manibus pretensis extensisque fineque extensionis expansis: vicissimque ad thoracem vsque attractis, natare sedulò ac animsè contendas, primò pedibus, dein manibus, toties quoties commodè poteris prosilire pergito In hunc modum:



N. Ratio lepida videtur,& perfacilis. G. Audi parum, dum te moneam, sicut soleo monere meos. Dum aquæ sint tibi certò certius notæ ac prius perlustratæ, ne timeas ab aquis, neu decumbere vereare. N. Haud equidem hæsito ecce autem nonne me totum immersum sensisti? nonne multum mouentem promouentem nihil? G. Quid ergo? N. Opinor equidem, ad hanc facultatem capescendam, me prorsus ineptum esse. G. Toto flumine erras. Tute enim quæ heri edixerim, & acutè intellexisse, & animosè tentauisse, & artificiosè perfecisse visus es. sed ne nimia difficultate initio territus. Quod & ars ipsa natãdi postulat,& tua imperitia,& aquis minus assueta, tenera tua tremulaq; cutis: Primum tibi in amne hoc practicè demonstrabo, quid illud est quod scire & tenere, auide concupiueris, quo studio, qua industria, quibus modis cõparandũ: Dein binis horis in die, exiguis rebus multũ animo oblectationis ministrantibus, tibi cũ vacuerit, præsens adero. Quotidie sistẽs isthic locorum in amne; hac si placet hora: subleuando, docẽdo mouẽdo instituendo, deníque manibus, pedibusque demonstrando. Donec huius artis fastigium summum transcenderis, luculenter te quidem,& verè practicè edocueto. Interim (quod tuum est) primum natandi gradum tentasti, & tentasse non pigebit. N. Difficilior multum ratio est, quam opinabar, & ego ad agendum paulo sum inæptior. G. Difficilè quisque de se sentit, maximisque ingenijs vereque nobilibus, similes ni succedant actiones, omnino quæ sunt, contaminandas sentiunt. Discentem oportet credere, tuque credas, quod astans ego vidi. N. Quid ergo vidisti. G. Etsi tute tibi minime, mihi tamen natare maximè idque maxima cum agillitate visus es. Sed quòd primo incipienti, aqua plerumque videri solet asperior, tute rursum ripam scande, vestitusque aut togatus saltem, inde, hæc omnia, quæ claro sermone vsurpaui, oculis. Dicto simul ac facto demonstrata conspicare. N. Placet mutatio loci. G. Quid tam properè properasti? N. Aer aquis, quàm multò est clementior? Iam quousque & quam diu libet, hanc mihi artem explicari velim & demonstrari. G. Ita faciam, tu modò occulos animumque aduortito. Quisque hanc viam ingressus est, primò procumbens, facile immergitur attrahensque spiritum (quod omnes solent imperiti) aquis suffocatur. Qua quidem principij difficultate quod multi perterriti, vna die aquis salue, atque vale dicunt: Incipienti simul ac imperito, subleuamina supponere solemus. Hinc alij mento eorum, manu alterius subleuato: alij viminibus iuncisue thoraci contextè suppositis: alij distentè inflatis vesicis. (Quæ omnium est rationum facillima ac probatissima) natare incipiunt. Prouideat incipiens, ne aquæ sint mamillis altiores, neu clunibus inferiores; Paucis postquam extensionibus natare didicisti, cauene in locum mamillis profundiorẽ sis prolapsus, neu peritior tandẽ, præ multiplici subsequente discrimine, ignotis vitam credas aquis. N. Ventre natare partim didici, vna cum periculis adiunctis: Sed cum hæc euitari nullo modo possunt nisi corpora reflectamus, hoc scire velim.

CAP. 3.

QVOMODO INTER NATANDVM EST REVERrendum?

G. NOctu natis (vt docent χειρμάντικοι) dextera fauet: Die vero sinistra. Qui dextra sæpius vtuntur, ij vltima extensione cum reuerti conantur, per palmæ dextræ in dextrum latus extensiuam declinationem, palmæque sinistræ (è regione aquas retractantis) atractationem, in sinistram vertuntur capite vna colloque & totius corporis habitudine similiter in sinistram inclinatis, In dextram qui reuerti vult, idem faciat omnino è contrario. Sic.

N. Huic



N. Huic quis proxime gradus est successiuus? *G.* Scilicet,

CAP. 6.

FACIE NATARE SVPINA.

N. Ardua multum ac difficilis, supina natatio videtur retinens naturæ. *G.* Pulcherrima illa quidem, facillima, tutissima, naturæ humanæ cõiunctissima. Cum enim canit poeta: Os homini sublime natura dedit, & erectos ad sydera tollere vultus: hinc elucet, tot repentè in aquis periclitantium & plærumque pereuntium causa vnica; quia cõtra naturam, aquas brachijs complicantes, fundum deorsum contendentes affectant quod si in dorsum eo tum casu sese reponere scirent, erectoque corpore contendere, non submergerentur, etsi maxime velint, id docet experientia frequens. Quos enim omnium peritissimos submersores viderim, eorum neminem vnquam facie supina (etsi maximè contenderent) nisi de industria erigerent brachia simul perpendiculariter, contractoq; thorace, quantũ possent in altũ eijciendo perseuerarent. Et tamen hoc sensim fit, maximaque cum difficultate, pedibus primò fundum contingentibus. *N.* Supinæ natationis modum ediscere cupio *G.* Hic modus hæc via compendiaria esto. Erectus sistẽs in amne, sensim lentoque relapsu, facie supina, lymphæ reretrorsum inclines, pectore in superficie aquarum tumescente, toto corpore à capite ad calcem, linealiter erecto, expansis colligatisque successiuè & lateraliter vtrinque tibijs, non plus binis a summa aquarum regione pedibus hisce ita compositis quiescente supra pudenda vtraque manu) cursum dirigat retrorsum. *N.* Nonne caput, dum sic natamus, pene totum immergitur? *G.* Multum quidem aquis ocultatur. Itaque tenero qui sunt capite, horrent multum ab hoc optimo tutissimoque natandi genere. *N.* Optimum hoc est & tutissimũ: *G.* Imo vero ac tutissimum: nam facillimè dorso natatur, diutissiméque, nec toties supini aquas inuiti sorbemus, quoties dum ventre natatur, tum si fluctus sint, aut gurgites vasti, caput fluctũ frangit, pellitque vtrinque si malis etiam amnis abũdet graminibus, alteque surgentibus (quæ natandi malũ haud mediocre minitantur (dorso tutius natatnr quam ventre. *N.* Hanc ego rationem, callere malim, potius quam audire. *G.* Initio etsi videtur tibi difficillior paulo, aut inusitatior, astipulantis manus adminiculo, siarundinum straminis, ligni iunci, seu (quod maximè probo) vesicarum suppositione vtare sicq; lento motu, retro decumbendũ in hunc modum.



Caueat natare incipiens, ne ſeſe furtim ſubleuare conetur, altero fundum pede contingente: hoc enim timidi animi eſt, & ſeipſum fallentis neq; erigat multum genua,aut lumbos deprimat omnino, ſed extento linealiter toto homine, liquidò retrocedat & animoſè. Reuertere ſi velit (dum imperitior eſt) circumnatet: ſin recentis nomen & rationes horreat, vna quieſcente tibia, alia aquas lateraliter complicante, in complicantis tibiæ latus (ſiue dextrum illud ſit ſiue ſiniſtrum) artificiosè reuertitur. Item circumvolutionem apprimè tenere debet,ad euitationem imminentium periculorum: ſcilicet lintrium,arundinum, riparum aut occurrentium quorunque:quæ ſi inopinatò eueniant, niſi valdè animoſus ſit gnaruſque natandi; actum eſt,illicet, perijt,ad hæc mala euitanda, multæ etiam aliæ vſu veniunt,conuerſiones, inuſitatiores ſcilicet & difficiliores, ſed quæ liberum decent & ſunt valdè ſalutares. *N.* Neque iſtas, me celare velis. *G.* In aquis dum ſim, hac atq; illac liberè fluo, eoq; faciliùs ac liberiùs fluet oratio noſtra; ſiquidē venuſtates iſtæ atq; reflexiones,mihi multò maximè ſolent eſſe iucundiſsimæ. *N.* Quæſo hac me particepes iucunditate, harum varietatem demonſtrans,dum edicas. *G.* Quas edicturus ſum, harum prima dicitur.

Cap. 5.

TROPICA EXPEDITA.

PRocedens à dextris ad ſiniſtras, & è regione:fitq; ſimili manus oppoſitæ declinatione,corporiſque ac capitis inclinatione, comitante ſimul tibiarum complicata circumvoluſione, eodem prorſus modo, atq; prius vſitata conuerſio facta eſt, niſi quòd repentè hæc reuocat pronatantem, idq; agilitate expedita,quæ non niſi ſūma agilitate imbutis contingit. *N.* Hæc,qui fit, tantillo temporis, ac,vti dixti, momento? *G.* Non vt communis conuerſio, dum circumgyramus lateraliter,ſed ſi in ſiniſtrum, expeditè reuerti volumus, id actutum fit,pollice dextro fundum ſpectante palma conuexè prætenſa, aquaſque anteriores lateraliter abdicante, ſiniſtra verò aquas plana palma,digitiſq; copulatis, retro inuoluente,vnda attrahente,idq; corpore,vultuq;, ſubitò retractis in ſiniſtram: Sin in dexteram expeditè reuerti volueris,eadem omnia è contra,eodem prorſus modo, & ordine ſunt peragenda, præſens vt monſtrat figura.

N. Huius



N. Huius conuersionis quis est vsus? *G.* Repentinis periculis euitandis maximus: scilicet si festinanter in nos, siue naues aduolent, siue lintres, siue nobiscum haud mediocri cum periculo leones, vrsæ, canesue færoces, in aquis colluctentur siue alia quæcunque repentina pericula nos violenter affectent, hac vnica conuersione, quasi digitulo facile declinantur omnia, præterea si periclitanti in aquis, opem ferre conemur, hac conuersione & commodissimè id fit, & minimo cum periculo. Caueat huic conuersioni deditus, ne aquæ sint nimis raræ, neu tibijs seiunctis hanc tentet. Illud enim tibijs, hoc spinæ dorsi nimium est inimicum. Hac non venustior multò, sed multò etiam salutarior.

CAP. 6.

CONVERSIO CAMPANALIS.

N. QVæ illa est campanalis, quîdue ita dicta fuit? *G.* Quia omni latitudinis discrimine semoto prorsus & neglecto, sicut campanæ, dum pulsantur, sic hac conuersione vsus, ventre si natet, subitò attractis pedibus, simulque anteriorius proiectis, facie supina renatat, é contra si supine natet, perpendiculariter conuersis extensisq; tibijs pone; ventre natans illico, cursu quo priùs, procedit contrario.

N. Id qui fit? *G.* Ventre ſi nates, ſimul contrahens pedes, & contractos contrario modo eijciens, poné etiam expanſis manibus, aquas atrahe retrocidens ac vna ſupinus natans. Sic.



Dorſo verò natans, contrahe ſubito ad nates pedes tuos, ac ponè (aut fundum verſus) proiectis illis, exultans, ac animoſe corpus e- erigens, prona facie natare contendito. *N.* Quis vſus huius eſt? *G.* Scilicet in anguſto aquarum ſinu, contractoque curriculo, ſine tædio aut offenſione pedis contra ripas, reuertamur. Caueat tamen fundus vt ſit ſatis profundus, præcipuè verò graminibus lutoque vacuus *N.* Non potes lenti caricis fundiue aut mali graminis periculum, vera vi natandi ſuperare? *G.* Quam multi peritiſsimè natantes & generociſsimè in feſtis graminū ligamentis & lutoſo fundo hærentes, periêre. Itaque fortiter natantes idque agilitate animoſa, aliam fræquentant conuolutionem, quæ dicitur,

CAP. 7.

CIRCVMVOLVTIO.

N. QVanam ratione fit circum volutio? *G.* Dum natamus extento vt ſolēt corpore, circū voluimus noſmet facie habituq; corporis reliquo, ſuperius, inferius, dextrè ſiniſtréq;, ſucceſsiuè multoties (& axis inſtar cum integro globo) circumuoluti. Quam quidē rationem, geſtu citiùs luculentiúſq; quàm verbis explanare potero. *N.* Attamen vti cæpiſti, iam lucida priùs oratione, dein praxi mihi eam demonſtres ſenſibili. *G.* A ſiniſtris circumuolutionem inchoans, poſtrema dum ventre natat, extentione, brachiū manumque dextrā (aquas palma vna deprimens) quoad poteſt anterius extēdat, vultu pectore, habituq; corporis per ſiniſtrū ſupinè cumductis, tibiam ſiniſtrā ſupprimens, dextrā eleuans, ſummaq; aquarum, à ſiniſteris dexterā verſus efferens, ſæpiùs circumuolutus, vel à dextris ad ſiniſtrā, vel à ſiniſtris, ad dextram contradictoriam ſcilicet manus dextræ, & pedis dextri, contraque extentionem ſcilicet manus dexteræ, pedis vero dextri contraq; extentionē, ſcilicet manus dexteræ, pedis verò dextri elationē, ad vel ſupra ſummā aquarū. Exempli gratia: vt bene, bis dictum eſto, a ventre volutus ad dorſum, extendens dextram, extrema extenſione, aquaſque anteriores declinante, per ſiniſtrā faciē eleuans, ſupino vt natet vultu, eleuat tibiam dextrā, vnaque circumactus deprimit ſiniſtram; quò ſepius & cæleriùs, hoc modo lepidè ludere tibi Iubeat, eò propinquius tibiæ coeant, manuſque ante pectus expanſæ huncque motum expedientes, non longè ſint ſemotæ, in hunc modum.

 N. Num-



N. Numquis eius vsus est? *G.* Frequens admodum quia dorso natantes hac sæpissimè vtuntur vt præuideant & etiam dū cumulos stramineos, aut superficiem sordidam, à sentinis profluētem, vitare cupimus, aut culices circum glomerantes, hoc aquarum pulsu liquidò abigimus. quod si natantibus nobis talium circa fluentium, aut circa volitantium copia sit infesta, eo casu vtendum est.

CAP. 16.

PERCVSSIONE QVADRIpartita.

N. VNde dicitur quadripartita? *G.* Quia aquas verberamus quatuor partibus corporis succesiuè, & velociter agitantibus. *N.* Quæ sunt illæ? *G.* manus pedesque. *N.* Omnes eleuamus simul? *G.* minimè sed succesiuè singulas: 1o pedem dextrū 2o manū dextram 3o pedem sinistrum. 4o. manum sinistram. *N.* Quâ agilitate potissimum? *G.* Extento corpore, eleuato pectore, tybijs partim brachijsque omnino planè lateraliter, quoad potes, extentis vti præsens videas.




Hac vtaris raro, idque aut oblectationis gratia, aut dum nimium condensantur circa faciem tuam, mordaces culices. Efficit enim sonitum sub aquis, capiti multum inimicum. *N.* Nonne possumus

CAP. 17.

MANIBVS PEDIBVSQVE SVPInè natare.

G. ETsi manuum decertatio, supinè natantibus plerumq; parum prosit, tamen festinanti processu, valdeque veloci. si contendimus, manibus pedibusq; id agendum est. *N.* Ventre vtiq; natantibus vsitatum est & congruum. *G.* Et dorso etiam, cùm supina pronatatio celerior sit, prona, hacq; supina contentio, est velociscima. *N.* Vnde supinè natanti manuum prima orditur motio? *G.* Eijciendæ sunt manus retrò, caput pone eædemque dum extenduntur, penè contingentes, palmis aures, dum eijciuntur spectantibus, vltima verò extensionis huius extremitate: (conuersis exteriùs palmis) brachia eodem modo expandendo, contrahendoq; simul: pedibus solito more contendentibus, prosilire contendat, in hanc formam.

 Hujus




Hujus vſus eſt: contra veloces fluctus procedere ac progredi, maximeq; omnium, ſuccedenti natandi facilitati eſt diſſentanea. *N.* Quam tute eam appellas. *G.* Multoties dicitur

CAP. 18.

RETROGRADATIO.

EA fit dum dorſo natantes, eodem prorſus modo, extenti iacentes & ſupini, regredimur, calcibus præcedentibus, ſequente vltima linea capite. *N.* Verbis iam perſpicuis eam mihi indicaſti, oculis itidem intueri velim. *G.* E verbis meis modus poſitionis & retrogradationis elucet; ſed habitus tamen natantis, & artificium agendi adhuc latet. *N.* Quin, ſi placet pateat illicò. *G.* Hoc more qui pergunt retrogrado, ij jacent ſupini, corpore extento, pectore tumeſcente, adeò vt præ tumore iſthoc, dorſum inter ſcapulas ſit concauum, manibus ſecretiora tegentibus, tibijs alternatim ſuper aquas eleuatis, ſicque ſucceſſiuè rurſum depreſsis, vt poſtquam aquarum ſuperficiem attingant, fortiter poplites verſus attractæ, nos alterius protrahant. Hiſce oculis vt videre licet.




N. Necessitatis quæso an elegantiæ soluis gratiâ, recessu vtimur retrogrado? G. Vtriusque. Recessis, scilicet quando profundis ac spaciosis pontis natantes longè a ripa distantes vnaque lassi ac natandi tædio confecti, hac facilitate nos subleuare solemus sine fundo, sine alterius adminiculo sine omni molestia quæ oblectationis & iam pars non minima censeri debet, & tamen rariori fluminum processu summis aquarum retrogradi colludentes, nobis iucundè quidem ac lepidè placere solemus, huius dissimulis est.

Cap. 6.
CVBATVS VERSATILIS,

N. QVæ est differentia inter Circumuolutionem & cubatum, versatilem? *G.* Et si eandem formam magna ex parte referant tamen si penitiùs vtramque agilitatem inspiciamus, illa motionem, hæc quietem ac positionem lepidam potius denotat exempli gratia illa circumuoluti corpus celeriter idque multoties, tibiam aquis efferendo, & cum percussione deponendo. Hanc dum frequentamus, iacemus supini extenti, vlnis lateribus applicatis, lacertis a corpore rectâ eiectis, tybijs interstitio pedali seiūctis planta pedum spectante fundum sic decumbentes nunc dextrum latus, illico sinistrum summis aquarum toties quoties, ostendimus, obseruato, dum dextram erigimus extēdimus lateraliter dextram manum pedesque parum deprimimus, sinistram verò manum pedemque ad nos attrahimus.

Vti iam occulatus testari potes.



N. Quis huius vſus eſt? *G.* Frequens admodum & per vtilis. ſiquidem ſupinus natans multoties periclitatur, vel in locos arundinoſos, uel contra ripam, vel alia pericula occurrentia, niſi circumuolutionem commodè calleat. Caueat hac fretus ne denſa mali graminis ſilua eandem ſæpiùs experiatur, ne irretitus, tandem, vix aut ne vix aquis excedat ſaluus. *N.* Quid ſi pronatando, paulò longiùs ſimus prouecti, & in aquas denſis graminibus altiſque ſcaturientes? *G.* Tunc, ſi natantes vna & exire liberè & tuto circumſpicere velint, ſequentis agillitatis, ſint periti, quæ dicitur

CAP. 8.

CIRCVLASIO.

INde dicta, quod ſicut prior pes circini manet immotus, circulum dum deſignamus in plano, alter vero circumducitur donec vnde orſus primo eſt, in eodem terminetur puncto: ita quidem & circulationem inter natandum frequentantes, tybijs aquas pulſantibus, circum circa querantur, capite manente in medio centrũque deſignante. Huic agendæ quis primus modus? *G.* Dorſo, vt ſupini ſolent natante iacemus: ſi à dextris circulari vis ſiniſtram verſus, parum deprime ſiniſtrum latus tuum fũndum verſus, dein tibijs vtriſque primò leua deinde dextra eiſdemque alternatim ac ſucceſsiuè aquis elàtis ſiniſtrumque verſus ſingulis elationibus longitudine pedis vnius pergentibus, capite immoto, & in centro quieſcente eleganter fit cir circulatio, ſpumantem circumferentiam aquis deſignans:

præſens tibi vt dabit exemplum:



N. Num nobis vſui circulatio eſſe queat? *G.* Imo maximo & frequenti præſertim, ſi amnis ſuperficies, vel ſpumante putredine, vel ſtipiloſa materia, aut alia immunditia quacunque, quæ natãtis capiti ceruicique adhærere ſolent & officere, circulatio ea omnia abigit ilicô, perſpicuumq́; oculis reuelat amnem. Hac ſummis colludens in aquis, caueat ne nimis altè pedes in aerem oſtendat caput enim immergitur: aut nimis ferociter pulſet fluctus tibijs, ſonitum enim magnum reddit in aquis capitis dolorem ilicò miniſtrantem. Ad hoc verò malum euitandum, ſequens. Circumductio eſt aptiſsima, ſcilicet

CAP. 9.

CONVERSIO PERPENDICVLARIS.

EA dicitur perpendicularis, cum erecti, in aquis ſtantes, adhuc corpore, capiteque perpendiculariter erectis, vndique aſtantes circumſpicimus, alloquimurque ſimul magna cum gratia ac facilitate? *N.* Hanc mihi commonſtrari velim. *G.* Profundo iam loco erectè ſtantem me vides? *N.* Video. *G.* Sed pedes ſubtus tibiaſque mouentes? *N.* Sic. *G.* Si à dextris ordiri velis, inuoluta, primò per dextri pedis plantam digitoſque agiles aqua, dein eodem prorſus modo ſucceſsiuè per ſiniſtri, inclinanda eſt tibi in ſiniſtrã habitudo corporis tota ac diſpoſitio manibus denique enixè aquæ ſunt attrahendæ & abdicandæ inuolutè: ſiniſtra primò attrahente, dextra dein ſucceſsiue recipiente, repellenteque:

præsens vt explanabo.




Huius quot ſint commoditates vide. Dum ignotis natamus fluctibus aut vaſto (ita ſi ſuperis viſum eſt) mari, huju: periti, erigimus caput vaſtos ſuper gurgites, circumſpicimus vbi proximus, vbi tutiſſimus littoris aggrediendi locus inimicorum. Præterea violētis manibus elapſi, fugientes nos ad aquas, ſi inſequantur affligētque vel ſaxis, vel ſagittis, vel alijs miſſilibus: hac freti perpendiculari, & vnde veniant, & quomodo euitentur, facillimè in ictu oculi exploratum habeamus; Etiam ſi vel cum homine, vel beſtia in aquis ſiſtenti tibi, decertatio contingat, hoc modo erectus, liquidò fortiterq; dimicare poteris. Cauendum, ne lutoſus ſubſit fundus, vitæ periculum minitans. His conuerſionibus multæ aliæ ſuccedunt, lapidæ illæ quidem & non inuenuſtæ natandi agilitates, facilitatesque, quæ non niſi natandi peritis eiſdemq; omninò generoſo planè animo celſoque imbutis contingunt, quas qui dextrè callet, omneſque clara quaſi luce præſens ad placitum ante oculos ponere, hunc NEPTVNI pronepotem, ponti ducem appellant & pleno quaſi ore laudare nunquam deſinant. *N.* Quænam illæ ſunt feſtiuitates, elegantius natantium? *G.* Et prædictæ conuerſiones, & multæ aliæ his quaſi ſucceſsiuè. *N.* Omnes non vno verbo potes edicere, nec omnia poſſumus omnes: Omnium tamen illarum, primam & audire & videre deſidero,

CAP. 10.

PRONATARE PALMIS CONiunctis.

PRimum tenet gradum, quia natationi ſimplici, pronoque eſt coniunctiſsima. Hac freti inter natandum, carpum vtrunque palmis ſimul applicatis, ad pectus vſque contrahunt. Dein extendunt manus palmis ſibi inuicem applicatis, pollice vtroque erecto, ſummis digitorum partim rectè tendentibus vſque dum ſumma ſuprà aquarum, compareant.

Vti è demonſtratione preſenti diſcas.




N.Huius nunquis vſus eſt? an ſolius oblectamēti gratia eadem vtamur?*G*.Præterquā quod elegans natandi ratio ſit,ſi fortè cumulus ſtraminius nobis inter natandum occurrat,qui moleſtiam periculumque ſæpè infert) hæc acuta manuum extenſio eundem penetrat illicò,& vtrinque diſsipat.In locum etiam arundinoſumdelatis eodē modo opem fert,& egrediendi facilitatem:præſertim ſi caue at ne nimis latè manus diſsipet,hoc diſcrimine afflictus.Neque inelegans illa ratio eſt,proximo quæ ſequitur gradu ſcilicet

CAP. II.

NATARE NEQVE VENTRE NEQVE dorſo.

N. Neque ventre neque dorſo? hanc natationem videre velim. *G*.Sic natans procedit,humero, brachio,crure, tybiaque ſiue dextris, ſiueſiniſtris, dextrè aut ſiniſtrè erectis,& ſummis aquarum contiguis.*N*. Quomodo? *G*. Dorſo vel ventre natans vna deprime ſiniſtram, erige verò dextrum latus natans idque extentus. Sic dum iaces ſiniſtra manus extenſionem frequentet non dilatando motum aut deprimendo ſeſe fundum verſus ſed recta quaſi linea extendendo,ac contrahendo ſummis aquarum paralellica.

in hunc modum.



N. Huius quæ est commoditas? Præter animi oblectationem quam inde latere natans capis alter vtram ripam si sic occasio feret, pronatando semper aspiciet, altera, manu pedeque quiescente N. nonne est possibile quempiam

CAP. 12.

VENTSE NATARE VTRAQVE MAnu quiescente?

G. VTique fit facillime. *N*, Quæ hæc est facilitas, & quo exemplo mihi indicas? *G*. Thorace extento anteriùs, collo aquis erecto, manibus collo ponè sub occipite iniiectis siue dorso retrorsum complicatis tybijs pedibusque promouentibus, vt solent dum ventre simpliciter natatur,

Vti me nantem vides.



N.Quem ad finem ſic ſolemus natare ? *G*.Scilicet ſi ſpaſmus fortè nos malè cœperit, aut ſi fortè catenis vinctis retrorſum manibus: aquas tentare cogimur in vitæ diſcrimine. *N*. Nonne id dorſo fit multò citiùs ac faciliùs ? *G*. Non tam commodè, quia ventre natans viam præuidet, luſtratq; oculis: dorſo verò natans, niſi conuerſione vſus, minime: Præterea ſi natando nobis lacerti ſint fatigati : quò faciliùs hoc caſu fluctibus emergamus, ſolemus ventre natantes

CAP. 13.

PEDEM SINISRVM MANV DEXtra portare.

N. VArietas multùm diſcentem delectat, & iſthæc ratio non poteſt non eſſe placidiſſima. Iucunda illa quidem , & inter natandum vſitatior fitque ſi dum ventre natans, pedem ſiniſtrum eleuando, nates verſus contrahimus, manum vnà dextram, ſuper nates retrorſum extendamus, pedemque ſiniſtrum comprehendamus, retineamuſque, continuata prouocatione ſub manu ſiſiniſtra, dextroque pede ac tjbia vice verſa, contra etiam fit,

Præsens vt videbis:




Hæc agilitas contra ſpaſmum multum vtilis eſt, ac ſalutaris, præcipuè verò, ſi alter pedum ſinuoſis, graminibus ſit implicitus, huic varietati addictus, faciliùs tutiúſq; mala gramina manu effringere & dimouere poterit. Quòd ſi gramina à fundo ſurgentia, ſpiſſiora fuerint & natanti infeſta, natandi varietate eſt vtendum, & tẽtandum vtrique

CAP. 14.

CANIS INSTAR NATARE.

DIfficilem hanc viam opinari noli, ſiquidem multi, antequam ventre natare primò didicere, ad hanc quadrupedalem prolapſionem, inſcij pænè incidunt, & ſeſe in ſublimi flumine efferre ſolent. *N.* Nulla iſtarum audita mihi, aut viſa eſt, natandi varietatum: itaque pergas præcor, & hanc & reliquas quotquot illæ ſint demonſtrare. *G.* Hanc calles rationem, ſi modice eleuans deprimenſque vtramq; manum viciſsim, ſimiliterque pedes: illis fluctus attrahentibus, hiſce verò abdicantibus proſilias: dextraque manu, pedeque dextro primò, dein manu pedéque ſiniſtris alternatim ſuccedentibus:

Vti jam demonstrans planè ante oculos ponam.




Hoc motu elati, tutius gramineam nociua siluâ exedimus his incõmodis, ventre dum natamus, sic evitatis, sequuntur, aliæ plures & faciliores, & expeditiores supinè dum natamus frequentandæ. Quarum prima, lepida quidem illa & quasi triumphans dicitur

CAP. 15.

AQVARVM PERCVSSIO.

N. MAnu an tibia percutimus aquas? *G.* Tybia dextra & sinistra eademque elegans ratio est & iocularis, fit hæc plærumque cum dorso eleganter natantes, singulis pænè extensionibus eleuata altius minusuè tibia) verberantur fluctus, & rorantes in altum stillæ concitantur. Elegantiùs hanc rationem exprimentes, singulis extentionibus procedunt, mento ad pectus depresso. Quod si generosius id factitare studeant, elatius tunc singulis extensionibus succedunt singulæ percusiones aquarum, vel sinistræ vel dexteræ, vna cum circum volutione totius corporis. *N.* Pulchra hæc quidem ratio est & omnium quas enarrasti generosissima itaque hanc videre ardeo *G.* Hanc dum excercere velis & perficere, iaceas supinus in aquis corpore extento tibijsque tumescente pectore & quasi eleuato, manus vtriusque palma plana, fundum versus aquas deprimente, corpusque (dum pedes eijciuntur) inuolutis aquis partim subleuante. Sed si cum verbere aquarum vna circumuoluere velis, tunc, si dextera aquis tibia sit elata, eandem repentino motu deprimas eleuando eodem momento sinistram totum corpus eadem vnica actione circumuolutioni confirmando:

euidenter vt tibi elucebit ex demonſtratione iſthac.



Hæc agilitas etiam facilitatem natādi magnam parit, nec tantam contentionem postulat atque

CAP. 20.

VNIVS PEDIS COLLVSIO.

N. FAcilitates istæ & natandi lepores, vt plurimum voluptati, nō necessitati inseruire videntur. *G.* imo nulla harū est, quæ si pericula eueniant, (vt solent inter natandum plurima) non minorem vsum arduis propellendis quàm voluptatem lepidè ludenti ministrant; itaque eò gratior ea ratio tibi videri debet quia miscuit vtiledulci. Hæc enim(de qua verba sum facturus) vnius pedis collusio, etsi natanti amænitatem multam ministrare videtur, quod hac inter nataudum freti celso anmo prosilire videntur & quasi triumphantes, habet tamen suum destinatum vsum & commoditatem perpetuò successiuam, vti & verbo & exemplo aperiam. Hanc affectantes dum procedimus, eleuatam nunc dextra nunc sinistra tibia pedeque in processu, quasi triumphantes circū voluimur eam ter quaterue in aere circumductam, vna generoso vultu contractoque in collum mento, spectantes. *N.* Lepida hæc quidem collusio videtur & perfacilis. *G.* Imo multum difficilis nisi enim imprimis tumescente pectore, palmis planis, fundumque versus depressis altera tibia aquas vna premente: hæcquæ omnia comitetur generosus sese subleuantis animus, dum tibia eleuatur, caput aquis immergitur difficilis hæc quidem agilitas, sed pulchra & quæ infestis graminibus pedtbus, siue molestia, discutiendis summopere conuenit.

Vti præcius conſpicis.




qua quidem difficultate territus, ne medio cursu desistas: huic expediundæ faciliùs, sequitur ratio non inuenusta.

CAP. 21.

PEDVM OSTENSIO.

N. Vtrisque pedibus summis aquarum elatis, potis est quispiam intacto fundo persistere. *G.* Vsitatum id quidem est & perfacilè, nec sistere modò, verum & commonstratis ambobus pedibus pronatare. *N.* Hanc mihi cedò viam. *G.* Huius appetens jacet supinus, (cuius contrarium in cæteris pedum ostentionibus factitatum est) dorsum deorsum incuruet manibus remotum more, super ventrem, dum contrahantur ac dilatantur planis palmis, per involutionem aquarum corpus subleuantibus, eleuatis pedibus supra aquarum summa,

clara vt iam luce tibi lucet.



N. Huius vſum aliquem quando reperiſti? *G*. Poſtquam natauimus, præſtituto ſpatio, hac freti: videre licet fixiſque oculis cernere, num pedes ſatis mundi, ſatis candidi, ſatis denique loti, etiamſi in profundiſsimum locum ſimus prolapſi. *N*. Quantum auguror coniectùra, plures ſunt pedum, quàm capitis agilitates. *G*. Et mari terraque æquum eſſe cenſemus vt pedes ſepiùs agitentur quam caput, vbi fixum eſt conſilij domicilium, & tamen ſi iam à calce ad caput tranſcendat oratio noſtra, vnam facilitatem longè omnium excellentiſsimam capiti propriam ac peculiarem videbimus: ea dicitur

CAP. 22.

MENTI SVSPENSIO.

N. MEnti ſuſpenſionem, tacitus dum mecum diuinare ſtudeo, mente omnino ſuſpenſus hæreo. *G*. Ne graueris ſi mente te ſuſpenſum detineam, dum menti ſuſpenſionem videas: ſicut enim caput ſublimi loco nitens, cæteris corporis partibus eſt eminentius: ita quidem hæc facilitas, cæteris omnibus ſuperior multò, & ſi artificiosè teneatur, facilè ſuperat ipſam artem. Siquidem hujus peritus, etiam in profundiſsimis aquis non mouens omninó ſtat erectus, aquis minimé immerſus. Itaque cætera argumenta ſi eſſent obſcura, tamen hæc vnica facilitas docet manifeſtè: natura hominem natationi aptam ſcilicet ſi erectos ad ſydera efferat vultus. *N*. Quibus vijs & modis, hæc efficitur? *G*. Dorſo dum natamus, vltimó extenſis expanſiſque tibijs quieſcimus, ſic iacentes Dein, dum expanſæ, vt prius tibiæ deſcendunt vnà, cum perpendiculariter fundo appropinquant, contrahendi ſunt pedes, genua verſus, pectus tumidè efferendum, brachia (manus vtriuſq; dorſo, dorſo tuo affixo, idq; humeros verſus) vel contrahenda, vel lateraliter vtrinq; rectéq; eijcienda, manuum palmis planis, digitiſque coniunctis, fundum ſpectantibus, mento quantum potes ipſum Zenith ſalutante:

Vti vides:



N. Mirifica hæc quidem ratio est. *G.* Et tempore etiam vtilis. *N.* Quo tempore? *G.* Dum summo frigore summa glacie peregrinamur si forte lubrica subtus glacies perrumpitur, hoc vnicum remedium, periculi evitandi necessitate multa nocte amnem tentare si sis coactus, teque sequantur lintre prouecti & huius tamen agilitatis subleuamine, etiam in profundissimis aquis, immotis fluctibus, nullo sono concitato dum prætereunt inimici, quiete sistas, & mox Optata egressus potiaris arena hanc successiuè comitatur.

CAP. 23.

PRESSIO AQVARVM

HVius benificio erecti stamus mouemusque in aquis amota omni manuum emixione, idque (verbo vt expediam) fit per circumductionem pedis vtriusque dum circulariter eosdem (vna aquas inuoluentes planta fundum plane spectante exterius vtrique circumducimus;

Vti patet præſenti demonſtratione



N. Huius non poteſt varius non eſſe vſus. *G.* Dum aquas animoſè ſimul ac artificioſè premimus, facile circumſpicere poſſumus altiſsimos fluctus ſuperare tormento arcuuè ſagitare gladio decertare, manuum denique miniſterio liberimè perfrui, *Caueat huic addictus* ne rariori flumine lutoſo aut malorum graminum pleno eãdem frequentet, arduum enim eſt & periculoſum: malo quia gramine tibia nonnunquam erit ligata: quod ſi contingat illicò affectanda eſt

CAP. 24.

DORSI NATATIO CONTRADICTORIA

SIc dicta, quod ſicut orationes contradicentes acerrimè & ex diametro inter ſe diſſonent: ita & hæc actiuitas ê membris contradictorio modo ſepoſitis, profluit. *N.* Quæ illa ſunt? *G.* Vel manus dextra & pes ſiniſter: vel ſiniſtra manus pes autem dexter. *N.* Quomodo? *G.* Supini dum natamus dextera manu apprehendimus pedem ſiniſtrum, & ê contra alia tunc temporis tibia eleuata velociter ac depreſſa,

In hunc modum.




Si gramina tibijs adhærent ſupini dum natamus, hoc artificio a-mouentur illicò. Quòd ſi infauſto (vt aiunt) omine malorum graminum ſupini dum natamus tibiæ vtræque ſimul ligenter, eo tum caſu.

CAP. 25.

NATATIO CONNEXA.

SEpè multumq́ue opem fert, vitæq́ue tutamen certisſimum. *N.* Colligatis ſimul tibijs & connexis putaſne fluctibus nos tutò poſſe excedere ? *G.* Auſpicatò quidem. Dum enim ita connectuntur tibiæ, brachia etiam ſibi inuicem implicata, pectus ſuper geſtamus : Dein extendentes corpus, ſupini procedimus, vtraſque tibias eleuando, viciſsimq́ue deprimendo, contrahendoq́ue dum deprimimus, donec ripæ contigui, voti ſimus compotes,

Præsens vti vides.



Ad hanc difficultatem, accedit alia maior multò ac periculosior; ſcilicet manibus pedibusq; ligatis ſi quando è carcere, vel puppi, vel aliquocunq; loco in flumen eiectus, hanc callens rationem artificioſam, ſaluus tandem fluctibus emergere poſsis. Huic diſcrimini euitando,& ſimilibus, ventre dum natamus, opem fert.

Cap. 26.

PROLAPSIO.

N. Omnis (quantum ego intelligo) pronatatio eſt prolapſio. *G.* Tranſumptiuè etſi eo nomine appelletur, tamen hæc propriè veréq; & genuinè ita appellanda eſt,quia ſicut vermes,ſeu angues prolabentes per partium priorum limoſam tenacitatem, poſteriora (vnà prolabentes) ad ſe attrahunt, itidem & huius facilitatis fretus auxilio, è medio denſiſsimorum graminum ſenſim elabitur, *N.* Quo artificio? *G.* Ventre natans,in hoc caſu,proiectis tibijs placidè retrorſum,manibus antrorſum,ſed coniunctim vtriſque)procedimus. Sic tamen,vt brachia manuſq;, quoad poſſumus longiſsimè à pectore extendamus : digitis connexis, palmis curuatis fundum ſpectantibus, his ſecundum artem ſic diſpoſitis, per palmas incurues, & vlnarum vim, aquas ad nos attrahimus anteriores,quæ dum corpus tibiæq; coniunctæ proceſſui vlteriori ſeſe lentè & more gracili accommodant, nos è denſis graminum ſyluis ſaluos ſoſpitésq; educunt:

hæc vt demonſtratio docet.



Caueant huius experti, ne nimis feruidè & ferociter hoc casu contendāt sed placidè placatè animosè; neue manus dilatent multum, neu pedes omninô: ingruet enim periculū prædictum sine dubio, cuius nodosa connexio sine discrimine vitæ (nisi externū adsit auxiliū) nullo modo dissolui potest huic difficultati succedit placida quædam collusio & iucunda


CAP. 27.

SESSIO CONTRACTA.

SIquidem natandi periti, multis modis varioque artificio natantes iacemus ambulamus, stamus, sedemus vtique *N.* Quali cathedra sedere soletis natantes. *G.* Lenta quidem & permolli; cuius aream occupanti non opus est puluino, siquidem aquæ natandi perito lectulus, quo decumbet area, qua pedem figat; via qua ambulet; currus quo prouehatur; viridis campus quo se miris modis oblectet; cathedra qua repostus sedeat. *N.* Penè defessus sum ripa diutius perstans doce quæso quomodo aquis sedere queam? *G.* Non id fit erecto corpore sed contracto idque, vtraque manu vtramque tibiam comprehendente tibijs sic detentis, successiuê datis vna depresisque sedulo ad hanc rem aditus tibi clarior vt sit, primò conatum manus per vtrunque latus, per attractionem aquarum depressionemque corpus subleuare nitantur: pedes etiam tibiæque eodē modo sed sic vt dum hæc aguntur inferiùs pedes cō trahat poplites versus manus vna per genua dimittens, donec pedes prædicto modo apprehendant, teneātque, natans quoad potest, pectore tumido, capiteque prono sedeat:

M sic

Vti demonſtrantem me vi les:




Huius hæc eſt commoditas, quod digitorum iuncturas (quæ poſt lotionem nonnunquam ſunt immundæ) liquidó lauare & alijs nō videntibus ad voluntatem nudare, præcindere, colere. Hæc etſi minus vtilis ſit, iucundior tamen eſt & venuſtior

CAP. 29.

ΤΕΤΡΑΦΑ'ΝΗ.

QVatuor partes corporis ſupra aquas vno eodemq; tempore oſtendens: caput ſcilicet vlnas genu. *N.* Curioſa hæc videtur agilitas nec breui tempore ediſcenda. *G.* Eam experturi vno genu, ſupra alterum circumflexè eleuato poſitoq;, altera denſis vicibus elata depreſſaque tibia, vtriuſq; manus dorſo mamillis affixo, vlmis in altum eleuatis, pectore tumido, & quoad fieri poteſt eleuato, ſupini colludentes natant,

Sub hac forma.



Præter iucunditatem ex hac difficultate enatam, hac vtramq; (præsertim tibiarum alteram) in aquis profundissimis subleuare possimus, vt planè docet

CAP. 30.

TIBIÆ ERECTIO.

N. NOnne ostensio pedum, & tibiæ erectio eadem sunt. *G.* Minimè. Siquidem hæc non fit sine subleuamine alterius tibiæ manuumq; ex vtroq; latere, aquas paulò inferius inuoluentium, deprimentiumque: dein dum altera tibia àd mediam supra aquas erigitur, alia tibia fortiter denséq; aquas inferius deprimit,

Præſente vt patet demonſtratione.




Hac freti facilitate, vel populum potus aut aliud quippiam digito pedis maiore connexo flumen ad placitum transferre possunt, meliùs tamen multò & faciliùs illud efficit

CAP. 24.

MANVVM ERECTIO.

SVpini dum natamus varius ac multiplex est manuum nostrarũ vsus: aut enim corpus inter natandum a sorde abluimus, gramina a capite a brachijs â tibijs remouemus, aut nos facilè subleuamus, at manum vtramque perpendiculariter erigere multò maximè difficillimum est, simul & natare. *N.* Mihi videtur multis prædictis ratio multò facilior ac magis familiaris. *G.* At cum eriguntur brachia, contrahitur pectus, quo contracto corpus festinanter descendit. Itaque hîc latet huius agilitatis opus vt dum brachia erigimus pectus omninô non contrahamus, sed quoad possimus efferamus simul.

hoc modo.




Id ſi artificioſè fortiterque faciamus, vel togam, vel crumenam, vel aliud quiduis tutô tranſportemus Hanc ſequitur.

CAP. 32.

OCREARVM IMPOSITIO

N. POteſtne quis ocreatus natare ipſaſue inter natandũ induere? *G.* Natare quidem, ſed induere neque poteſt quiſquã, neque aliquando neceſſe eſt: quandoquidem in aquis eaſdem exuere cupiunt periclitantes. *N.* Quid ergo OCREARVM IMPOSITIONEM appellas? *G.* Non tam propter naturam quam propter formam modumque agendi, ſimilitudinem hominis ocreas induentis referentem, quia elata primô altera ab aquis tibia dein alia ſucceſſiuè vtramque manibus ambabus complectentes, extenſiue dimittimus ſicut ocreas ſolent induentes. *N.* Quo artificio eſt hoc tentandum? *G.* Pectore ventreque tumidè elato, extentoque, ſupra aquas eleuatur, vt iſpectanti altera tibia depreſſa celeriter dum altera iam tibi minimè poteſt eſſe obſcurum.

hoc modo.



Hæc tibijs abluendis longè ſolet eſſe commodiſſima, graminibusq́; abdicandis, huic non multum diſſimilis eſt

CAP. 33.

SALTATIO CAPRÆ.

SIc dicta, quia ſicut capræ ſaltantes, motionem pedum ſedulò reduplicant: ita hoc pedum in aquis geſtu perfuncti, reiterant motionem illius generoſè, vt ſolent in corona ſalt antes dum exultant Hæc pedum multiplex vna vice veloxq́; elatio, non fit ſine excellenti animi magnitudine corporiſq; agilitate neruoſa. *N.* Hæc ſi adſint., quomodo tamen ipſam agemus, & in ſublimi clarè referamus? *G.* Fit pectore tumeſcente valdè, manibus bis terue velociter denſiſq; vicibus, aquas lateribus ſubſilientes, conglobantibus, deprimentibusq́;, ſic tamen, vt ter, quaterue denſis vicibus depreſſis vltima vice parum manus dilatando, fortiter ac profundiùs ſolita, aquas deprimendo, corpore firmiter exultante, tibias vtraſq; ex aquis in altum eijcias, duplicatis & reiteratis vicibus earum, idque complexè, vel ſigillatim, priuſquam in aquas iterum immergantur.

Testante oculo tuo & planè iam vidente.



Hæc difficillima omnium eſt, longéq; præclariſsima. Hanc rectè ſi calleas apicem ipſum tranſcendiſti, altiùs contendere noli, voti cum ſis compos. *N.* Nec credo poſſe, ſed dic quæſo, nihilne natandi artis, latet ſub aquis? *G.* Ea quidem magnam huius artis portionem ſuo iure ſibi vindicat, quia pauci id tentant, præcipuè cùm ſit comes periculi. *N.* Ne graueris (amicorum nulli ſecunde) hoc quoq; artificium mihi retexere, & ante oculos, vti cœpiſti, expreſſa demonſtratione ponere. *G.* Tua vox, quam egregiè charam ſemper præ cæteris omnibus habebam, virtuſq; generoſo pectore tuo, diu multumque nobilitata, me monere viſa ſunt. Extremo actu ne deficiam. Fac amabo dum quæ reſtant ſub aquis demonſtrem, tu vti cæpiſti, veloci oculorum intuitu & perſpicaci, motum geſtumque noſtrum obſerues. *N.* Modò vt poſſim. *G.* Huius primus gradus dicitur

CAP. 34.
VRINATIO.

N. OMnibus hoc vitium eſt, quòd ſaxi ſimiles fundum recta petunt. *G.* Vitium quidem eſt, ſed non naturæ. *N.* Arte putaſne opus eſſe vt ſubmergamus? *G.* Aedipol, vt vel artificiosè, vel celeriter, vel decorè, vel ſine detrimento. *N.* Quiuis facilè demergit ſeſe, vt patet in tot totieſq; ponto pereuntibus *G.* Imo verò difficulter: exemplum capias è multis, qui dum ſubmergere ſeſe ſtudent, diu iacentes proni, & enixè contendentes, tantum facies eorum occultatur flumine, occipite & natibus ſuperficie aquarum altioribus: adeò vt aſtantes, pleno ſæpè ore exclament, Virga, virga, opus eſt virga. *N.* Nequeunt iſti in profundum deſcendere, etſi maximè velint? *G.* Ne quidem acriter contendentes itaque hinc elucet: natura hominem natare: cũ non poteſt non niſi violenter ſubmergi: totque indies aquis ſubmerſos interire, quòd violenter aquas ad ſe rapiunt: dum fundum ipſum pertingant, neque id quidem actutum, ſed poſt longam in aquis colluctationem. *N.* Num periti ad fundum, quando & quam primum velint aliquando penetrant. *G.* Herculè, ſi opus eſt, ſagittæ inſtar arcu diſtento emiſſæ: quodque iacula nequeunt curſum inuertere, progredi, regredi, aſcendere, deſcendere, rectè, obliquè, mixtè, pro arbitratu ſuo *N.* Submerſionis modum, primum enarres. *G.* Quam imprimis narraui, ea eſt vrinatio, fitque erecto in aquis corpore, pedibus arenoſum fundum prementibus: ſic poſitus, cum primum ſubmerſionem tentare conatur, exultat ſurſum à fundo contrahens ad pectus mentum & incuruans, Vertice capitis, fundum ſpectante, manuum dorſis ſibi inuicem plicatis ante caput, eiſdem ſic coniunctis & in aquas fundum.

Verſus velociter rectéque detruſis: in deſcenſione (dorſo vnius manus alterius dorſum oppoſitè ſpectante & conglugente) exteriùs incuruatæ, dilatentur robuſtè, hæcq; dilatatio ſurſum tendat partim flectens re:rorſum exempli gratia:




Hæc parit primam ſubmerſionis ſpeciem, quæ dicitur

CAP. 35.

DESCENSIO PERPENDICVLARIS

Hanc frequentantes: ab altioribus locis quales ſunt virides ripæ arbores pontes lintres, aut naues priuſquā deſcēdunt in aquas, aere ſeſe attollant quò celeriùs rectiùſque fundum petant. *N.* Qua corporis habitudine? quo geſtu ac motu? Sicut ſagitta in altum emiſſa, cum ad ſūmum peruenit verſa reuertitur vice eodem prorſus modo aquas rectè ſubiturus effert ſeſe, quo rectiùs caput fundum proné reſpiciat idque facillimè ſi dicto more manus inuicem oppoſitæ, quàm primum aquas penetrant curuatis exteriùs palmis ſeſe vtrinque dilatent deſcendente capite ipſis verò manibus contentione obliqua aſcendentibus.

Vti præſens demonſtrantio docet.



Huius commoditas magna est in profundissimis areis perscrutandis, quas nisi hoc celeris motus beneficio tūcti nullo modo præ defectu spiritus accedere aut attrectare valeamus. Hac rariùs vtimur quia maiori fit cum periculo, discriminis verò nullius, maximæ verò voluptatis ac vsus, est sequens

CAP. 36.

SVBNATATIO.

N. HVic ego paulò sum quàm reliquis deditior. *G.* Esto. Aquas postquam prædicto more immissi simus primò (quod antequam immergimur nobis deliberandum est) vel summa vel media vel infima fluentis regione iam submersi manuum dorso, dorsum contingente, sic applicatas velociter extendamus, pollice fundum indice zenith spectantibus (quo profundiùs subnatare velis eo altiùs palmæ manus pollice fundum spectante) exteriùs sunt torquendæ, dum extenduntur, ac dilatandæ: quo verò altius velimus, subnatare & summæ superficiei propriùs, eo latior palma manuum (sicut ventre solent natantes) esse debent, pollice vtroq; sese inuicem salutante palma fundum spectante; medio verò qui natare studet tutissimus pollice vtriusque manus parumper depresso anteriores fluctus ad sese attrahat, attractos etiam retrò propellat) manus incuruatæ sint retrosum, eodem prorsus modo distentis brachijs fortiterque aquas anteriores apprehendentibus & post se repellentibus ab vltima extensione anteriori, exterius circumgyrando, quousque ad genua penè reducantur: hoc fit pedibus extensis, sicut dum ventre natamus, sed summū fluminis potius, quam fundum affectantibus.

Ecce autem:



Subnationem vſurpamus, cum vel aliquid fundo quærimus, vel cũ ad diuerſos locos nos occultè ſub aquis tranſportare velimus vel ſi periclitanti fundoq́; iacenti, opem auxiliumq́; afferre ſtudemus hoc caſu. Caueas ne quempiam periclitantem, vel ſupra, vel aquis inferiùs temerè adeas, aut ne eum apprehendere te, vel ſupra, vel ſubtus ſinas. Hoc enim ſi fit, actum eſt, abire non licet, perijſti. *N.* Quid ergo in hoc caſu faciundum cenſes? *G.* Neminem in hoc caſu adeas, niſi cautè & tutò. *N.* Id quî ſciam & hoc quî fit? *G.* Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra. Itaq; amico ſi hanc gratiam poſtremam præſtare velis, primo modice ſit ſuffocatus, adeò vt acrimonia viſus ſit tibi pænè extincta. *N.* Hoc quî ſciam? *G.* Quamprimum fundum contigerit, id plerunq; fit: Dein ſi quo locorum iacet, videre potes, aut pernoſſe, ne aquis te ſubmittas, niſi duodecim ab eo pedibus diſtes propius ſupra ne accedas. Dein ſubmerſus non feſtinanti motu procedas, ſed cautè ſenſim ac pedetentim: omnino acutè prouidens, propius aggreſſus, caueasne te omninò pertingat, ponè accedens ſi potes illius capitis coma (facieq́; eius ſupinè verſa) apprehenſa, ad rariores aquas eum attrahito, eleuans demittens, fricans, veſtibus à frigore operiens in hoc fatali diſcrimine, ſi copia adſit, arrepto fune corporiq́; alligato, terminum eius ſtantes in ripa, vel (ſi curtatior ſit) ſequens in amne, manu teneat, & ſigno à te dato fortiter ad ſe attrahat. His omnibus ritè perficiundis neceſſaria eſt

CAP. 37.

REVERSIO VRINARIA.

N. Poſſumus ne ſicut ſupra ſolemus, ſic ſubmerſi etiam, ad placitum reuerti? *G.* Eadem pene facilitate Hæc verò maxima ex parte & commodiſsimè, eodémq; prorſus modo fit, quo priùs Tropica expedita, altera manuum plana palma exteriùs verſa, aquaſq; interiores repellente, altera poſteriores plana canaq; palma attrahente, dum reuertimur in fine extenſionis, digiti manus anteriùs extenti palma exteriùs verſa ſurſum curuare ſe debenr,

hac vt claret demonstratione.



Huius flos & perfectio vera adhuc explicanda restat scilicet

CAP. 38.

SVBNATATIO CIRCVLARIS.

CVm aliquid amissum, circumfluentes sub aquis quærimus (quod optimè solent canes venatici)circulo aream circumcingimus,diuersa loca lustrantes, idq́; adeò methodicè, vt nonnunquam albos lapides monetam, cornua, calciaria, siue alia signa euidentia fundumq́; natura affectantia, in amnem proijcimus, eademq; (etsi tria aut quatuor sint)aut plura,eodem quo iniecta fuerunt ordine (non omninò surgentes in altum) aggredimur simul ea exportantes omnia. Hæc expeditè quidem fiunt, dum subnatamus circulariter. *N*. Qua partium facultate hæc potissimum est peragenda? Manuum scilicet vtrisq;: à dextris ad sinistram, aquas sedulò voluentibus, si ad dextram circuire studemus: sin ad sinistram contendimus,tunc manuum forma & inuolutio è termino procedit ac latere contrario.

Vt liquet per exemplum.




Quando rem aquis deperditã recta ſubnatatione præterimus, tunc circulari curſu errorem corrigimus. In omni etiam ſubnatatione caue ne vlterius procedas quam clara tibi lux commonſtrat viam quod ſi tenebris ſemelaquæ & oculi ſint obducti hoc indicium eſt aut ſub ripam te vlterius prorepſiſſe aut nimis profuudè deſcendiſſe aut ſub lintre alioue ſuperficiem aquarum tegente radióſque luminis abdicante non ſine diſcrimine erraſſe. *N*. Quid ergo faciẽndum ſenſes hoc periculo, cum neque videre quicquam nec aduocare quempiam neque aſcendere neque liberè ſpirare poſsimus? *G*. Denſos huiuſmodi locos aggredi noli at ſi feſtinanti curſu & veleci tenebris ſemel ſis immerſus præſentis animi memoria fretus rectâ linea retro quo intraſti reuertere ſurſũ ſpeciens, lumen enim tibi longè illucet; præ omnibus cauens ne ſpirare tentes ſub aquis: quod ſi hoſtium, ripis aſtantium ſpicula lethiferaque iacula aut diutius ſubeſſe cogant, quàm commodè pati poſſumus, tunc affectanda nobis recurrit.

CAP. 39.

AGILITAS DELPHINI.

HÆc aſcendere nos & deſcendere docet. Expeditè elatiores paulò breuem trahimus ſpiritum depreſsique illicò procedimus tutò: idque per quingentos paſſus vitæ difficultate diſtrictis (æſtate præſertim) licet quam minima cum moleſtia:

exempli gratia.



Hanc experturi, vna aut altera præmissa pronatatione prona, illicò sese submergunt (quò profundiùs eo tutiùs modò videre possint) pronatantes sub aquis, quousq; commodè spiritum retinere & reprimere valeant. Dein sensim procedentes, surgentesq; simul cũ præ claritate sese summis aquarum appropinquante sentiunt repentè efferant caput, celeriq; attracto spiritu, actutum immergantur summis aquarum. Vel propiùs vel remotiùs ad libitum procedentes hoc tentent toties, quoties præsens periculum & occasio postulat. His iam laconicè dictis & viua sub imagine demonstratis, scilicet quomodo per aquas tuti simus ab aquis, à periclis ab inimicis, littore nos prosequentibus, quid restat aliud, nisi

CAP. 40.

POSTREMVS ACTVS.

ETsi quo diutiùs natamus, eo meliùs agiliúsq;, tamen post multam in aquis commorationem, siccum nobis affectandum est: ne præ nimio aquarum frigore membra (sicut iam mihi incipiunt) nimium aquis quasi coacta videantur. Benè ergo lotus, omnibusq; membris mundus, locum commodum à te (priusquam molli aquarum glebæ, corpus commisisti) diligenter obseruatum, vel supinè, vel pronè, vel lateraliter, vel, quod sæpè solitus sum, retrogradatione supina aggredere: ripa erectus toga te circundabis, manuq; pane prehenso calciatus discurre, lepidè ludens, exultansq; viridi prato. *N. Panis comestio* nihil pertinet ad istam artem, *G.* Multum, siquidem post ancipitis stomachi languentem digestionem, spiritus intus colligit, capitis dolores (qui post longam natationem sæpè eueniunt) amouet, *calorem reuocat, colorem renouat, cor recreat, totum hominem* deniq; *exhilerat.* Hæc ego hodiè festinanter tibi edixi omnia, sed admodum confusè, & vt tempus tulit. Tu, quo & amicitia nostra euidentior sit, & firmioribus tandẽ radicibus hæreat, dum tibi prosim, mihi autem non obesse videar, si singulis diebus bis terue, his ripis præsens fueris, non grauabor equidem te isthæc omnia sigillatim docere, neq; te deseram, donec & mihi bellè placeas, & tibi peritè, pulchrè, egregiè denique natasse videare. *N.* Nostri non est dignas nunc tibi referre gratias, cùm dies dabit (quod iam dies pubertati nostræ negat) maturas red-

dam & tanto amore dignas. *G.*Gaudeo si tibi *lymphatica nostra* arridet *industria*, & gratam fuisse erga te, habeo gratias. Sed quid? Nocturnum Phoebus petens cubile, & fessa dies iam transacta & glomerantes locorum istic turbæ nos hinc abire monent. Cras (*annuente Deo*) hora prima promeridiana, hunc locum reuisamus vterque, bisque singulis successiué diebus. *Vale. N. Placet*, Tuq; optimè. *Vale.*

FINIS.

DEO GRATIAS.

LONDINI,
Excudebat Thomas Dawson.
1587.

coll. complet

1937.



